



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rigor Moderatus Doctrinæ Pontificiæ Circa Usuras A SS.
D. N. Benedicto XIV. Per Epistolam Encyclicam Episcopis
Italiæ Traditus**

Specimina exhibens Moderationis Pontificiæ, à P. Daniele Concina violatæ

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii, 1749

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63772)

STU

69


M. III. 42

M. III. 37

37.

N. 4857.





RIGOR
MODERATUS
DOCTRINÆ PONTIFICIÆ
CIRCA USURAS

A SS. D. N.

BENEDICTO XIV.
PER EPISTOLAM ENCYCLICAM
EPISCOPIS ITALIÆ TRADITUS,
DISSERTATIO II. INAUGURALIS
Specimina exhibens Moderationis Pontificiæ,
à P. Daniele Concina violatæ.

QUAM

CUM ANNEXIS COROLLARIIS
DEO AUSPICE,

ANNUENTE INCLYTO COLLEGIO JURIDICO,
IN ALMA & CATHOLICA BAVARIÆ UNIVERSITATE INGOLSTADIENSI,

Colleg. S. J.

PRÆSIDE *Padr. 1776*

P. FRANCISCO ZECH, S. J.

SS. Theologiæ, & SS. Canonum Doctore, horúmque
Professore Publico & Juris Primario,

Post consueta Rigorosa Examina

Pro Licentia summos in utroque Jure Honores consequendi,

PUBLICÆ CONCERTATIONI SUBJECIT

GEORGIUS JOSEPHUS KLIBER,

Landishutanus Bavarus, Jur. Utriusque Cand.

Mense Julio M D CC XLIX.

Venduntur apud Joan. Franc. Xav. Crätz Bibliop. Academ.

Ingolstadii, Typis Joannis Pauli Schleig, Typographi Academ.

P I G O R
M O D E R A T I S
B O N I T A T I S

1771

1771



EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO
PRINCIPI
ANGELO MARIAE QUIRINO,
S. R. E.
CARDINALI BIBLIOTHECARIO,
ET
EPISCOPO BRIXIENSI &c.

FRANCISCUS ZECH S. J.
FELICITATEM.



Eniam *Temeritatis*, qua Sacris Tuis
Manibus se ingerit, optimo jure postu-
lat hæc Lucubratio, EMINENTISSI-
ME PRÆSUL: Veniam *Tarditatis*, qua
post repetita Tua jussa tandem, & nunc quidem
manca, unicóque Capite comprehensa, adrepit, eadem
sperat.

a

Temer-

P R Æ F A T I O.

Temerariam fecit singularis Tua Clementia, qua, ut ad SS. D. N. BENEDICTUM XIV. scribis, Dissertationem meam priorem de Usuris, Brixiae à Te lectam & probatam nupero autumnò, in Tuo ad Danubium itinere Tecum deferre dignatus es, tum ut iterum ejus legendæ copiam haberes, cum ut ipsam manu gerens me coram hortareris, ne diutiùs partem alteram desiderari paterer. Tuis igitur animata jussis, subire audeo Oculos, non nisi eruditissimis, doctissimisque libris tum scribendis, tum legendis intentos. Non ea quidem arrogantia tumet, ut locum sibi speret in splendidissima Bibliotheca, quam elapso anno, ut marmor in ejus vestibulo loquitur, à *fundamentis excitatam* librisque primum *instructam*, quos *Vaticane olim donatos*, proprio recens ere redemerat, auctam deinde novis undique conquistis, ac tandem opportunis Redditibus dotatam publice utilitati aperuisti, & post Tuum ex Almengovia reditum inaugurasti. Inter tantos omnigenæ Eruditionis splendores habitare non sustinet tenuis hæc scriptiuncula. Id solum intendit, ut publico monumento profiteatur, Collegium nostrum Ingolstadiense ea felicitate, quam Præsentia Tua, & ad Familiaritatem se demittens Humanitas eidem præterito autumnò conciliaverat, adhuc exultare; me autem, cui beata illa EMINENTIAM TUAM venerandi fors non obtigerat, obsequendi jussis Tuis gloriam mihi vindicare.

Ala-

PRÆFATIO.

Alacrior haud dubiè promptitudo in edenda altera Dissertatione in me desiderabatur. Excusare longiores moras ex eo possem, quòd Dissertationes istæ publicis Concertationibus ante Gradus Academicos præmitti solitis sint destinatæ; & hinc non nisi statis temporibus, post mutatas cum aliis vices, earum publicandarum occasio ad me redeat, præstitutis etiam, ne in majorem molem excrescant, limitibus, qui exuberante materiarum copia ad finem perducere præsentem Dissertationem prohibuerunt. Hanc aliis dare licet, Tibi autem, EMINENTISSIME PRINCEPS, veram *Tarditatis* causam coràm exponere decreveram, quamprimum de Adventu Tuo spes nobis facta fuerat, certus vel veniam, vel remedium me impetraturum: spe autem Alloquii Tui frustratus, mancum potiùs opus, quàm nullum Tibi sisto, ne modicam Adhortationis Tuæ toties repetitæ rationem habuisse arguerer.

Cùm igitur eo tempore, quo Collegium nostrum Ingolstadiense Veneranda Tua Præsentia beasti, abesse me contingeret, ægerrimè quidem hoc invidiæ sortis fatum ferebam, eo tamen solatio lenitum, quòd illis ipsis diebus Vestigia Tua in priore ad Sueviam itinere, apud Campidunenses, Ottoburanos, Memminganos &c. altè impressa, venerari licuerit. Occurrebant ubique Sapientiæ, Moderationis, Comitatis, Doctrinæ, Sanctitatis Tuæ illustrissima Monumenta: ipsique

PRÆFATIO.

Campi Memmingani, qua latè patent, resonare videbantur illud in Schelhornii Epistolis ad Te datis solenne: *O & Præsidium & dulce decus Musarum.*

Germaniæ Apostolum Te passim prædicant, utpote qui Protestantium animos ita in Romanæ Purpuræ venerationem traxisti, ut simul Romanæ Fidei radiis eisdem collustrares. Expressa in Te suspiciebant lineamenta, quibus Magnus ille Episcopus Veronensis AUGUSTINUS VALERIUS, quocum & communem in Urbe Veneta Patriam, & communem in Illustrissima Republica Patritiæ Dignitatis, ac Stirpis à vetustissimis Romanis Heroibus deductæ Splendorem, & eundem Cardinalis Titulum S. Marci, eundemque Virtutum omnium ac Scientiarum amorem fortitus es, Cardinalem depingit. Ea enim à Cardinale cum Hæreticis sui temporis agente requirit VALERIUS, quæ Tu à Protestantibus Germaniæ feliciter obtinuisti. Verba ejus ex Opusculo, quod *Cardinalis* inscribitur, admetior: *Si ad hereticos mittitur (Cardinalis) aut cum eis necessario sermonem est habiturus, vitæ exemplo Catholicam doctrinam confirmans, humilitate potius, quam Dignitatis splendore, sanctimonia quadam magis, quam acumine ingenii, eos in Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium studet reducere; paratus etiam falsam eorum doctrinam refellere sine ulla jactantia & ostentatione: tam popularis est bonitas, veræ virtuti ita favet Dominus, ut Cardinalem illis moribus præditum*

PRÆFATIO.

ditum heretici etiam admirentur. Certè non tantùm Magnificentiam in ædificandis Templis, Munificentiam in pauperum subsidiis, Literarum ac Literatorum Amorem, Disciplinæ Ecclesiasticæ Studium, Religionis promovendæ Zelum, sed alia etiam plurima Romanæ Purpuræ ornamenta, quæ in dicto Opusculo delineata lego, adèò vivis Morum Tuorum coloribus expressa veneror, ut VALERII vota longè superare videaris, QUIRINE EMINENTISSIME, minúsque Ille mente conceperit, quàm Tu opere gesseris.

Tantus talisque cùm sis, quantum ac qualem non Germania solùm, sed Europa universa prædicat; obtenta *Temeritatis ac Tarditatis* venia ad Pedes Tuos advolvitur hæc Lucubratio. Sublimis quidem Ingenii Perspicacitas, vastissima Eruditionis Copia, tenacissima Memoriam Fidelitas, & acerrima Judicii Vis, æquissimum insignium Scriptorum Æstimatorem Te reddunt: vicissim tamen summa Animi Moderatio & Facilitas indulgentissimum Te præstant leviuscularum etiam lucubrationum Censorem. Unde pãtere, CARDINALIS ERUDITISSIME, ut rationem methodi in hac Dissertatione observatæ, ac posthac observandæ, quam alii Scriptores solent Lectoribus omnibus reddere, Tibi soli explicem. Si Tuam illa mereatur Approbationem, de aliorum Judicio parùm sollicitus sum; nam qui æstimari

P R Æ F A T I O.

merentur, Tibi consentiunt: qui à Tuo Judicio discedunt, æstimari non merentur.

Sic igitur habe, PRINCEPS EMINENTISSIME. Postquam *Rigoris* Specimina circa Usuras ex Epistola Encyclica SS. D. N. BENEDICTI XIV. in Dissertatione I. delibavi, eúmque Rigorem constanter ab Ingolstadiensi Academia assertum, contra criminationes P. Danielis Concinæ luculenter ostendi: superest, ut quod ibi promiseram, etiam *Moderationis* prudentissimæ Specimina ex iisdem Literis Pontificiis exhibeam, simúlque ob oculos ponam, quantum idem Author discedat à Lenitate & Moderatione, quam ipse in Literis Pontificiis summopere admiratur.

Quamvis autem singulæ earum lineæ venerandam spirent MODERATIONEM, hujus tamen Specimina ad tria summa Capita reduco.

I. Potest cum Mutuo concurrere Titulus aliquid exigendi ultra sortem,

II. Potest pecunia per varios Contractus collocari ad lucrum.

III. Tacet Pontifex Auctores contrariæ sententiæ, eosque censuris, ac contumeliis notari vetat.

Ex

PRÆFATIO.

Ex his solum *Caput Primum* nunc sisto, ubi varii examinantur *Tituli* ultra sortem aliquid exigendi. Id dum exequor, stricta, pressaque oratione, qua in Prima Dissertatione usus sum, hanc alteram prosequi statueram: multorum tamen hortatu, ut quosdam Articulos fusiore calamo extenderem, compulsus sum, ipsa præsertim materiarum natura id exigente, tum ubi objectæ criminationes repellendæ, tum ubi ex Historiis aliqua exactius enarranda occurrunt.

Authorum longos Catalogos ad confirmandam doctrinam texere, in more non habeo: reperiri illi possunt apud paucos, quos non nisi propriis oculis inspectos, fideliter, ut credo, allegavi. Et nonnullos quidem, quorum nomina tum mihi, tum aliis Catholicis parùm grata sunt, inserendos putavi in gratiam P. Concinae, quem eorundem lectione & flosculis delectari deprehendo.

Porro Vir summus, cujus monita pro oraculis habeo, dici mihi iussit, se in priore Dissertatione omnia probare, præter Modestiam, quæ erga *talem* Adversarium videretur nimia. Verùm, quod pace tanti Viri factum volo, non recessi à norma priori Dissertationi præstituta, & quidem eo Authore, quem improbare nemo potest, scilicet Exemplo Tuo, CARDINALIS MODESTISSIME, quod exhibent Libri, Epistolæ, Alloquia,

P R Æ F A T I O.

loquia, quibus omnium animos Tibi devincis. Imago illa, vivis coloribus per Scriptores Ephemeridum Trivultianarum mense Augusto Anni 1745. expressa, adeo Tibi placuit, ut eos elegantissimo Poëmate, quod ex Gallico in Latinum verteras, remunerari dignatus sis. Summopere autem probabas de Te dici, quod agas cum A catholicis Germaniæ *avec cet esprit de douceur, qui ménage & gagne un Adversaire.* Hoc Tuo suavissimo simul, & fortissimo exemplo informatus, obtundebam sæpius calamum, quem immoderatus Adversarii Stylus magis acuminatum exigere videbatur. Venia tamen dabitur Discipulo Patris Pichler, per Sectionis quintæ Articulum quartum aliqua inspergenti, quæ probarent, eum inter graves Magistri sui injurias nondum induisse indolentiam Stoicorum,

Nihil autem optabilius est, quam nulla premi necessitate acuendi calamum: hæc ut à Theologis Italiæ, quos summopere veneramus, nobis non imponatur, plurimum interest Rei Catholicæ in Germania, & à Te potissimum, EMINENTISSIME PRINCEPS, pro Tua apud Romanam Curiam Auctoritate, Tuæque in Teutonicam Nationem Benevolentia præcaveri poterit. Expertus es Germanorum hujus ævi tractabile & docile ingenium, quod auctoritate rationibus suffulta facile capitur. Si quid igitur nonnulli Theologiæ reformandæ
zelo

P R Æ F A T I O.

zelo incenū in Scholis nostris minus probent; suade illis, **CARDINALIS HUMANISSIME**, ut moneant amicè, ut impugnent modestè simul & fortiter: sed convitiis abstineant: sentient, nos quidem minimè servire arbitrariæ opinionum alienarum libidini; ad meliora tamen pronos esse, si rationibus potius, quàm probris obruamur. Quid opus erat tantopere debacchari contra Ingolstadienses ob sententiam P. Pichler, quam nullus ex modernis Professoribus, quantum mihi constat, unquam propugnavit. Cogita insuper **SAPIENTISSIME PRINCEPS**, diætaria Conciniiana non in Ingolstadienses solùm, in quorum corio impune se ludere posse confidit ille Author, sed etiam in Salisburgenses, utpote ejusdem doctrinæ Patronos, quos pro merito suo summo pere æstimas & foves, esse conjecta. Absque gravissimo Catholicæ rei detrimento contingere non potest, ut geminæ hujus Academiæ nomen & fama contumeliosè à Theologo Italo traducatur. Remedium ut afferas, **CARDINALIS OPTIME**, non alia excitandus es eloquentia, quàm qua Divinum Servatorem geminæ illæ sorores in vota flexerunt: Ecce, quos amas, fædè lacerantur. Quidquid ad ferendam opem, & præcavenda graviora mala Tibi factu opportunum videbitur, id certè probabit **SS. D. N. BENEDICTUS XIV.** apud quem ut fidejussionem pro me præstes, impensissimè rogo, me scilicet & sanctum Ejusdem **RIGOREM**, & sapientissimam **MODE-**

b

RA-

PRÆFATIO.

RATIONEM circa Usuras ex æquo venerari: ea autem, quæ in his Dissertationibus scripsi aut scripturus sum, summo Illius Judicio pronissimè submittere: & quæ fortè ultra Epistolam Encyclicam speciatim de Usuris definienda posthac erunt, obedientissimè acceptaturum.

Ut autem materias in hoc primo Capite tractandas unico obtutu lustrare liceat, subjicio earundem brevem *Conspectum*. Si quis parum utilitatis ex hac lucubratione erui posse credat; ego saltem istud me reportare gloriabor, quòd Jussis Tuis, CARDINALIS AMPLISSIME, obsecutus fuerim. Unde verbis utor, quibus Popularis Tuus VALERIUS Tractatum *de Episcopo*, volente S. Carolo Borromæo scriptum, finiit: *Sine fructu certè hunc laborem sumere non potui, cum mihi videar voluntati Illius, quem magnum DEI Servum existimo . . . esse obsecutus.* Demum ad Pedes Tuos advolutus, Sacram Purpuram demississimo osculo veneror,

Dabam Ingolstadii die XX. Maji
S. Anastasio Episcopo Brixienti
sacra. M D CC IL.

CON-

CONSPECTUS CAPITIS I. DE TITULIS EXIGENDI ULTRA SORTEM.

Epistola, loco Præfationis, ad Eminent. Cardin. QUIRINI.		
SPECIMEN I. Moderationis Pontificiæ circa usuras.	fol.	1
SECTIO I. De Damno emergente.	-	3
SECTIO II. De Lucro cessante.	-	11
SECTIO III. De Periculo Sortis.	-	18
SECTIO IV. De Jure Pignoris.	-	41
ART. 1. De Pignore in genere.	-	<i>ibid.</i>
ART. 2. De Pignore dotali.	-	44
ART. 3. De Pignore feudali.	-	49
ART. 4. De Oppignorationibus Germaniæ.	-	54
SECTIO V. De Statuto Principis.	-	61
ART. 1. Notitia de Jure Naturali.	-	<i>ibid.</i>
ART. 2. Opinio statuens posse aliquid accipi ultra sortem ex Statuto Principis.	-	69
ART. 3. Argumenta P. Concinae contra hanc opinionem.	-	75
ART. 4. Responiones ad argumenta P. Concinae.	-	89
ART. 5. Judicium de recensita opinione.	-	138
SECTIO VI. De Montibus Pietatis.	-	150
ART. 1. Generales Notitiæ de Montibus Pietatis.	-	151
ART. 2. Origo Montium Pietatis.	-	157
ART. 3. Propagatio Montium Pietatis	-	178
Per Italiam	-	<i>ibi.</i>
Per Belgium	-	207
Per Germaniam	-	212
ART. 4. Observationes circa Montes Pietatis in Germania erigendos.	-	218
SECTIO VII. P. Concina Moderationem Pontificiam circa Ti- tulos exigendi auctarium in Mutuo graviter violat.	-	225

APPRO-

APPROBATIO THEOLOGICA.

Pergit Clarissimus Auctor in hac altera Dissertatione de Usuris & sapientissimam Pontificii Rigoris, Moderationisque conjunctionem uberius ostendere, & Academiam hæc ab irrogata sibi injuria vindicare, unde vindicias istiusmodi, quodcumque forum examinet, non solum licitas pronuntiabit, sed mirabitur, acumen cum habeant ingenii, & doctrinæ, quo ferire possint validissimè, attamen offendere nullibi, neque in Fidei, morumque dogmata, neque in sanctæ Charitatis, aut modestiæ religiosæ præceptiones, neque adeo in ipsum, quem sibi præstituerunt videntur, adversarium, cujus inculpationes minimè ferendas ita retundunt, ut tamen inculpatæ tutelæ moderamen ad amissim observatum ubique appareat, imò, eum Eximius Auctor in conscribendis de materia usurarum lucubrationibus non alium sibi præfixerit scopum, metamque, quàm, ut violatam Academia nostræ famam redintegret, ac æstimationem, Summæque Sedis doctrinam huic propriam facere allaboret, ex utroque sanè fas erit, illud accommodari Prophetæ, *Chelyum & galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo.* Ezech. 27. v. 10. Quocirca nomine Sacræ Facultatis Theologicæ Dissertationem hanc dignissimam judico, ut ad singularem legentium utilitatem, & insignem Auctoris commendationem lucem aspiciat, typisque mandetur.

Joannes Josephus Antonius Hertel, SS. Theolog. Doct. Sereniss. Elect. Bavar. & Reverendiss. ac Celliss. S. R. I. Princ. & Episc. Eystett. Consiliar. Almæ & Cathol. Universit. Ingolstadt. Pro. Cancellarius, & S. Script. Professor Ordinarius. Insignis Eccl. Colleg. ad B. Virg. Monachii Can. ad D. Maurit. Ingolstadtii Parochus & Facult. Theol. p. t. Decanus.

APPROBATIO JURIDICA.

Præsens Dissertatio, seu *Rigor moderatus Doctrina Pontificia circa usuras*, solidissimis Rationibus suffulta, & præstantissimorum Interpretum auctoritate munita, sicut intricatissimas Materie suæ, difficillimasque Quæstiones, maximo labore & felicissima dexteritate fundamentaliter resolvit; ita dignissima est, ut ad plurimorum utilitatem, & perennem celebratissimi sui auctoris gloriam luce publica fruatur, ita censet

Hermannus Ant. de Chlingenberg in Schönhofen, & Trachenfels &c. SS. Electorum Bavar. & Palatini Consil. A&c. ac respectivè Dapifer &c. Juris Patrii, Feud. & Prax. Profess. Ord. Præf. in Stamb. & Oetting, ac p. t. Facult. Jurid. Decanus.

DIS-



DISSERTATIO II.

Sapientem MODERATIONEM
Doctrinae Pontificiae circa Usuras exhibens.

CAPUT I.

Specimen I. Moderationis.

§. 1.

POTEST CUM MUTUO CONCURRERE
TITULUS ALIQUID EXIGENDI ULTRA
SORTEM. (*Diff. I. §. 7.*)



§. 2.

Utrum ultra sortem ratione Mutui
perceptum, omnibus Juribus repugnat.
(*Diff. I. §. 83. seqq.*) Possunt tamen cum Mu-
tuo concurrere aliae quaedam causae, quae
licitum faciant auctarium ultra sortem.

De Titulis

Has vocamus *Titulos*, in quibus admittendis vel rejiciendis
discrepant Doctores. Aliqui nimia laxitate tot & tam di-
versos ejusmodi Titulos investigant, ut nunquam contrahi
possit Mutuum, quin connexus sit Titulus aliquid perci-
piendi ultra summam capitalem. (*Diff. I. §. 148.*) Alii econ-
tra tanta severitate de his rebus judicant, ut quamlibet uti-
litatem ex pecunia desumptam accusent, tanquam illicitam,
& cum Usura conjunctam, (*ibid. §. 19.*)

A

§. 3.

§. 3.

Aliquid exigendi ultra sortem, Moderationis sapientissimæ specimen more in omnibus aliis negotiis sibi consueto, præbet BENEDICTUS XIV. dum ejusmodi Titulos, nec omnes admittit, nec omnes rejicit: sed ad mentem Theologorum à se consultorum asserit, posse quandoque una cum Mutui contractu quosdam alios, ut ajunt, Titulos, eosdemque ipsimet universim naturæ Mutui minimè innatos & intrinsecos, fortè concurrere, ex quibus justa omnino, legitimæque causa consurgat, quidam amplius supra sortem ex Mutuo debitam rite exigendi. (*ibid.* §. 7.)

§. 4.

Statuitur Regula. Regula generalis statui potest, eum Titulum, concurrentem cum Mutuo, sufficere ad exigendum emolumentum ultra sortem, qui in aliis negotiis vel contractibus sufficit ad percipiendum emolumentum ultra negotii, aut contractus illius obligationem. Cum enim Mutuans per hoc, quod mutuaverit, non sit pejoris conditionis, quàm si non mutuasset: (*ibid.* §. 74.) hinc Titulus, qui in aliis negotiis potest per accidens intervenire, & causam sufficientem emolumentum percipiendi præbere, præbebit eandem cum Mutuo concurrentem.

PETRUS BALLARINI *De Jur. Div. & Natur. circa Usuram lib. 6. c. 2. §. 2.* ponit hanc Regulam: *Quicumque Titulus in pecunia mutua justus & estimabilis est; eundem esse justum & estimabilem in pecunia, qua rapina vel furto sublata est: qui autem in hac nec justus, nec estimabilis est; neque in mutua pecunia justum & estimabilem esse.* Hanc Regulam non prorsus satisfacere, patebit ex iis, quæ infra de periculo sortis dicentur. (§. 48. 59.)

§. 5.

Quorundam justitia Quod igitur ex ejusmodi Titulo percipitur, nequaquam percipitur ex Mutuo: consequenter nihil committitur contra

tra Jus Naturale & Divinum. Nam beneficium in Mutuo præstitum, non destruit obligationes aliunde natas.

§. 6.

Rejctis jam alibi (*Diff. I. §. 152. seqq.*) vitiosis quibusdam Titulis, examinandi veniunt quidam alii, de quibus ad omnem confusionem vitandam, per distinctas Sectiones agemus.

- I. De damno emergente.
- II. De lucro cessante.
- III. De periculo sortis.
- IV. De Jure Pignoris.
- V. De Statuto Principis & Consuetudine.
- VI. De Montibus Pietatis.

SECTIO I.

De Damno Emergente.

§. 7.

Pincipium, in quo plures ejusmodi Tituli fundari possunt, præbent Sacri Canones, (a) *cum ratio & usus obtineat, neminem, cui non vult, contra utilitatem & rationem cogi de proprio facere beneficium, scilicet extra casus, in quibus Lex Charitatis ad aliud obligat. Potest igitur quivis in præstando beneficio consulere suæ indemnitati; cum non deceat quemquam ex liberalitate sua periclitari.* (b)

(a) *C. 4. X. q. 2.*(b) *L. 50. ff. de Re jud.*

§. 8.

Quando in Mutuo mera indemnitas quæritur, palam est, non committi usuram propriè dictam, quæ lucrum ex mutuo definitur. (*Diff. I. §. 27.*) sicut enim in omnibus aliis

A 2

negotio-
lere,

negotiis & contractibus, in quibus usuræ locus non est, ratio habetur ejus, quod interest: ita etiam in mutuo, quando sola indemnitas intenditur, usura non committitur; cum ista indemnitas non sit lucrum ex mutuo proveniens, sed mera restauratio ejus, quod occasione mutui detractum, vel impeditum fuit.

Quando Jctus ex simili ratione usuras præstari ait, mox addit: *sed non quasi usuras: sed quod socii interfit, moram eum non adhibuisse. l. 60. pr. ff. pro socio.*

§. 9.

exigendo interesse, Indemnitas propria exigit, ut, quamvis Mutuum sit contractus suo modo gratuitus, (Diss. I. §. 43.) possit tamen Mutuans percipere ultra sortem, quantum sua interest, Mutuum non esse datum. Unde *justum & verum interesse Creditoris*, constituit legitimum Titulum percipiendi aliquid ultra sortem. *Justum*, inquam, id est, ad æqualitatem Justitiæ commutativæ exactum, habita ratione ejus, quod revera accidit, vel quod probabili & prudenti judicio accidere creditur. *Verum*, inquam, quod seriò fundetur in causis veris, efficacibus & propinquis, non in simulatis, fictis aut remotis. (a) *Creditoris*, inquam, non autem *Debitoris*; nam ex *Debitoris* necessitate vel lucro nequaquam metiri debemus interesse. (b)

(a) . . Ut hoc, quod revera inducitur damnum, hoc reddatur, & non ex quibusdã machinationibus & immodicis perversionibus in circuitus inextricabiles redigatur: ne dum in infinitum computatio reducitur, pro sua impossibilitate cadat. l. un. C. de sentent. qua pro eo quod inter. profer.

(b) Cum Mutuum debeat esse gratuitum, & in utilitatem recipientis, non credentis cedat; hinc quantumcunque constet, debitorem evasurum damna, vel capturum lucra ex mutuo; non est hæc justa causa, ut quidquam exigat creditor ultra sortem. Diss. I. §. 120. seqq.

§. 10.

§. 10.

Indemnitate ratione licet exigere, quantum sua interest. *Scilicet*
 (§. 9.) Interesse (a) autem dicitur utilitas nobis vel erepta, *damnum*
 vel prærepta. Eripitur, quod jam habuimus; unde *emergens,*
 acceptum: præripitur, quod potuimus habere; unde lu- *& lucrum*
 crum aversum, impeditumque. In eo igitur quod interest, *cessans.*
 habetur ratio damni nobis illati, & lucri ablati. Unde ad
 rem præsentem, duplici ratione Mutuantis interesse potest,
 Mutuum non esse datum, *primò* si damnum exinde in re-
 bus suis patitur: *secundò* si lucro, quod absque mutua-
 tione percepisset, carere debeat. Vulgò vocatur Titulus
Damni emergentis, & Lucri cessantis.

(a) An Interesse substantivè sumptum sit vox latina, videatur
 GOTHOFRED. *ad l. 82. ff. de leg. 2. lit. p.* Postquam Usura
 nomen in deteriore partem sumi cœpit, in bonum sensum
 substituta est vox *ejus quod interest.* HUGO GROTIUS *de Jure*
belli lib. 2 c. 12. annot. ad §. 21. vel potius Usura in legibus dicitur,
 quia id, quod interest, modo Usuræ censetur, suadente utilitate
 expediendarum rerum, cùm difficillima sit probatio ejus, quod
 in pecunia revera interfit. GERARD. NOODT *de Fœnor. lib. 1. c. 5.*

§. 11.

Primus igitur Titulus aliquid ultra sortem in Mutuo *Damnum*
 percipiendi, est *Damnum emergens,* seu jactura, quam Cre- *emergens*
 ditor ratione Mutui dati patitur in rebus, quas jam habet. *compensa-*
 Sicut enim lucrum ex Mutuo quæri non potest; ita vicissim *ri debet*
 sustineri non debet damnum cum Mutuo non necessariò
 connexum. Exemplum talis damni est, (a) si ex defectu
 pecuniæ mutuo tibi datæ, emptionem frumenti pro alenda
 familia necessarij differre opus sit in tempus, quo pretium
 frumenti augetur. Compensari enim hoc damnum de-
 bet, dato auctario ultra sortem mutuo concessam. Hoc
 auctarium non est quidem Usura strictè sumpta, cùm non

A ;

sit

fit lucrum ratione Mutui perceptum: Usuræ tamen nomine latius sumpto, dicitur cum termino restringente, *Usura compensatoria.* (Diff. I. §. 75.)

(a) Animadvertit nonnemo, exempla damni emergentis poni à quibusdam Theologis parùm apta. Nec pietas laudaretur, si quis ad usuram acciperet, ut posset mutuum dare: Nec prudentia, si quis sineret, domum propriam corruere; & pecunias ad eam fulciendam necessarias daret mutuas, nisi fortè hoc præstet gravissimè indigenti, vel ejusmodi damna ex mora debitoris proveniant. Exempla autem hæc sunt BONACINÆ de *Contract. Disp. 3. q. 3. punct. 4.*

§. 12.

Ob moram,

Ut compensatio Damni emergentis locum habere censeatur, dispicere oportet, an ex culpabili *Mora* debitoris, an verò absque ejusmodi *Mora* damnum eveniat. Si morosus debitor culpabilem jacturæ causam posuit, planè sicut in aliis contractibus, ita etiam in Mutuo præstari debet culpa per dilatam ultra præfixum terminum vel repetitum mutuum, solutionem commissa, compensando damnum iade illatum.

Plurimæ quæstiones & dubia *de Mora* afferuntur passim ab Auctoribus, quas prætermitto, cum sint communes tam mutuo, quam aliis contractibus.

§. 13.

aut Pactum, Si verò mora culpabilis non sit admissa, ulteriùs videndum, an *Pactum* sit Mutuo adjectum de compensando damno, an non? Quòd si *Pactum* nullum intercesserit, mutuatarius ad refarciendum damnum sine culpa sua creditori eveniens non tenetur; debétque sibi mutuans imputare, quòd de eo non caverit; fortè enim mutuatarius nolisset cum eo onere mutuum accipere. Unde damnum istud casui fortuito adscribitur, quem debitor præstare non tenetur

tur absque prævio pacto, nisi fortè creditor ad mutuandum fuerit compulsus.

Si quis ad mutuandum cogitur, seu vi, seu metu etiam iusto, potest postea exigere interesse damni emergentis, etiam absque prævio pacto. Talis enim non mutat affectu benefaciendi, sed declinandi malum ex metu imminens: ergo licet expresso pacto non fuisset conventum, id tamen subintelligeretur; quia nec Princeps cogere potest ad huiusmodi damnum subeundum, nisi in quantum Reipublicæ necessitas exigit. Quamvis igitur hæc nonnunquam exigat, ut cogantur subditi ad dandum mutuum: convenit tamen, ut hi præstentur indemnes. HAUNOLD. *de F. & F. tr. 9. c. 3. n. 388.*

§. 14.

Si Pactum fuerit adjectum, duplici id ratione contingere potest, scilicet vel de compensando damno, si quod evenit: vel de solvenda certa summa, ratione periculi damnum ex mutuacione impendentium. Ex priore pacto nihil debetur, si damnum nullum oriatur: eveniente autem damno tantum debetur, quantum ex Justitia commutativa requiretur ad servandam æqualitatem, & indemnitatem creditori præstandam. *Vel de compensando damno qualicumque.*

Eo fere modo istud contingit, quo Conductor casum fortuitum præstare tenetur, non quidem ratione locati conducti, sed ratione pacti in eam rem adjecti.

§. 15.

Ex altero pacto, quod de solvenda certa summa iniatur, debetur illa summa determinata, licet damnum eveniat minus, vel majus, vel omnino nullum. Eadem enim est ratio, acsi ematur jactus retis, ubi debetur pretium conventum, sive multi, sive pauci pisces extrahantur, sive omnino nullus. *vel de solvenda certa summa.*

Advertunt Doctores, ad hanc pacti speciem de solvenda certa summa ob instans probabile damnum, non posse obligari mutuata-

tuatarium, si malit se obligare ad compensandum quaecunque
damnum, si quod evenerit. (§. 14.) per istud enim pactum mu-
tuans servatur indemnis: unde si nollet esse illo contentus, pro-
deret, se præter indemnitate[m] lucrum querere, & obligatio-
nem ad certam pacti speciem imponere ratione mutui.

§. 16.

*Quale pa-
cti genus
est licitū.*

Licitum & honestum esse tale pactum de certa summa
ob probabile damni periculum solvenda initum, exinde
convincitur, quia pecunia præter æstimationem suam in-
trinsecam, tanti mihi insuper æstimatur, quanti est carere
damno, ad quod impediendum ea mihi est necessaria. Cum
autem sæpe incertum sit, quantum ex mutuatione damnum
sit eventurum; pacisci licet de summa determinata, modò
periculum damni verè immineat. Sicut enim pretio æsti-
mabilis est spes ad id, quod jactu retis capiatur; ita etiam
pretio æstimabile est periculum damni, quod ex mutuo ti-
metur. Unde sicut de pretio determinato pacisci possum,
ut alteri cedam spem & jus ad id, quod probabiliter capie-
tur: ita etiam de pretio determinato pacisci licet, ut in me
suscipiam periculum damni probabiliter eventuri; cum onus
istud sit omnino extrinsecum mutuo, & sæpe possit esse
tantum, ut non solum non tenear, sed neque possim illud in
me suscipere. (Diss. I. §. 177.)

Ad hoc Argumentum respondet nonnemo: si quis vult se servare in-
demnem, servet sibi pecuniam suam. Prout hæc responsio est
parum humana, ita contra eam quadrare posset crassior cala-
mus BERNARDINI de BUSTI, qui in *Defensor. tr. 2. p. 3. fol. f.
lit. I.* similem responsionem rejicit his verbis, quæ referre licet,
quo faciam mea. *O responsio fatua! non enim debet quis ces-
sare à proximi servitio: quod licitè potest facere, & sine suo de-
trimento &c. ad horum non dico insipientiam, sed ignorantiam
confundendam est sententia B. Thoma in qq. de malo. q. 13. art. 4. ad
14. ubi ait, quòd mutuans debuit sibi cavisse, ne damnum incur-
reret: & non dixit, debuit retinuisse pecuniam suam, & non sus-
currere proximo cum potest sine suo damno.*

§. 17.

ut autem refarcitio damni debeatur, vel de ea pactum absque usurarum labe iniri possit, Doctores requirunt sequentes conditiones. I. Ut mutuum verè sit causa damni emergentis, ita ut mutuans damnum non incurrisset, si non mutuasset. (a) II. Ut mutuans non habeat penes se alias pecunias otiosas, quarum ope damnum illud possit avertere. III. Ut, si absolutè de certa quantitate paciscar, verè probabile sit periculum eventuri damni. (b) IV. Ut mutuans mutuatarium ab initio admonuerit de damno sibi ratione mutui obventuro, & compensando. (c) V. Ut si in pactum deducitur determinata quantitas pro damno timendo, non tamen hæc quantitas respondeat toti damno, quod fortè eveniet; cum etiam ratio haberi debeat tum periculi, si pecunia in manibus mutuantis permanserit; tum etiam spei de damno non incurriendo. (d) VI. Ut non exigatur compensatio damni futuri, facienda tunc, dum mutuum datur, neque ex pecuniis mutuatis extrahatur. (e) VII. Ut mutuatarium non sit in illa necessitate constitutus, in qua mutuans ipsi gratis mutuare ex charitate teneatur, etiam cum aliquo suo damno; nam qui negligit damnum propter amicum, justus est. (f)

*Certis
conditionibus
servatis,*

(a) Quemadmodum creditor debitori cum proprio damno beneficium præstare non cogitur; sic debitor ad aliud damnum refarciendum & compensandum non obstringitur præter illud, quod ipsius causa creditor accepit propter datum mutuum.

(b) Non sufficit possibilitas damni tolerandi, sed probabilis futuritio ejus.

(c) Fortè mutuatarium hoc cognito potius mutuum petiisset ab alio, cui nullum immineret damni periculum. Alioquin plerumque accideret, ut plus detrimenti, quàm commodi ex mutuo perciperet, magisque deciperetur, quàm juvaretur beneficio, cum tamen juvari nos, non decipi beneficio oporteat, ut ait JCIus l. 17. §. 3. ff. Commod. C. un. & cod.

B

(d) Sqz

(d) Solet æstimatio periculi ex eo explorari, si quis prudens & probus re bene perpensa dicat, se malle hac pecuniæ summa carere, quàm hoc periculum subire.

(e) Si in mutuo centum aureorum, velim mihi statim solvi decem, titulo damni emergentis; jam re ipsa non mutuo centum, sed nonaginta duntaxat: injustè ergo postea exigere centum ex mutuo. Dein compensatio damni non antè potest exigì, quàm damnum acceptum sit, alioquin plus peteretur, quàm deberetur, consequenter deficiente alio titulo, lucrum percipetur ex mutuo. *Qua enim ratione qui tardius solvit, quàm solvere deberet, minus solvere intelligitur; eadem ratione qui præmaturè petit, plus petere videtur.* §. 33. *Inst. de action.*

(f) *Proverb. XII. 26.*

Requirat insuper NATALIS ALEXANDER *Theol. Dogmat. lib. 3. c. 7. art. 5. Reg. 1.* ut pactio & stipulatio de futuro damno compensando non nisi in casum moræ concipiatur ac referatur. Item ut in compensando eo quod interest, modus Regiis Constitutionibus definitus servetur, quamvis damnum ex mutuo emergens modum hunc interdum excedat. Legem istam Galliæ refert & exponit LUDOV. HABERT. *Theol. Dogm. & moral. tom. 4. p. 3. c. 14. f. 319.* Quidquid sit de Galliâ, similes tamen ordinationes non reperiantur in nostra Germania. Imò etiam in quibusdam Galliæ Provinciis mutuans sibi de eo quod interest, stipulatione potest consulere, teste CLAUDIO JOS. de FERRIERE *ad Instit. Justin. lib. 3. tit. 15. fol. 333.* ubi sic habet: *Il y a néanmoins quelques Provinces dans ce Royaume, où il est permis de stipuler les intérêts de l'argent prêté, comme en Provence, en Dauphiné, en Bearn, en Franche-Comté, en Alsace, & même à Lyon, pour l'argent prêté aux Marchands.*

§. 18.

*Damnum
emergens
est legiti-
mus Titu-
lus.*

His observatis conditionibus, firmum sit juxta Regulam supra traditam, (§. 4.) sicut in aliis negotiis & contractibus, ultra obligationem negotio illi propriam, tenetur quis ex culpa sua, vel ex pacto damnum refarcire ad perfectam æqualitatem constituendam, ita quoque in mutuo absque ulla usuræ macula debere à mutuuario, supposita culpa vel

vel pacto, compensari damnum occasione mutui obveniēns creditori: consequenter DAMNUM EMERGENS, si cum mutuo concurrat, juxta Moderationem Doctrinæ Pontificiæ (§. 1.) esse justum Titulum aliquid exigendi ultra sortem.

In hac doctrina videntur convenire omnes: pro opposita solet allegari SCOTUS in 4. dist. 15. q. 2. art. 3. ubi rejecta ex utriusque Testamenti tabulis usura, sibi objicit, quod liceat unicuique, sicut in aliis contractibus, ita etiam in mutuo, se servare indemnem, quod non potest, nisi accipiendo aliquid ultra sortem. Ad hoc autem respondet his verbis: *Si non vult damnificari, pecuniam sibi necessariam reservet, quia nullus eum necessitat ad faciendam misericordiam proximo: sed si vult misericordiam facere, necessitatur ex lege Divina, ut non faciat eam vitiatam.* Ex quibus verbis aliqui colligunt, Scotum non agnovisse damnum emergens pro titulo legitimo accipiendi aliquid ultra sortem. Verum non est credendum, quod Doctor subtilis eodem ferme loco sibi adeo crasse contradicat. Nam paulò antè *ibid.* art. 2. claris verbis docuerat, quod debitor, ex cujus non solutione creditor notabiliter damnificatur, teneatur de justitia satisfacere creditori de interesse. Altero igitur loco Scotus aliud non vult, quàm quòd nihil ultra sortem exigere liceat ratione damni mutuo intrinsici, quod scilicet consistit in translatione domini pecuniæ in mutuatarium; hoc enim damnum sufficienter refarcitur per restitutionem mutui. Ita observat HIQUÆUS in Comment. ad dict. art. 3. n. 154. Id tamen videtur sentire Scotus, non dari Titulum damni emergentis, nisi intercesserit mora debitoris. In hoc etiam contra se habet torrentem Theologorum, qui admittunt obligationem compensandi damni ex pacto.

SECTIO II.

De Lucro Cessante.

§. 19.

Justum & verum interesse Creditoris constituit legitimum *Interesse*
Titulum aliquid ultra sortem accipiendi: (§. 9.) id autem *Creditoris*
quod interest Creditoris, non tantum ex damno incurso,

B 2

sed

sed etiam ex lucro cessante æstimatur; (a) mea enim interest, quantum mihi abest, quantumque lucrari potui. (b) Imò commodum quod amittitur, damni loco habetur. *Damnum enim pati videtur, qui commodum amittit.* (c)

(a) *L. un. C. de sentent. qua pro eo, quod inter. profer.*

(b) *L. 13. pr. ff. ratam rem haberi &c.*

(c) *L. 2. §. 11. ne quid in loco publ. fiat.*

§. 20.

Infert titulum

Secundus igitur Titulus aliquid ultra sortem exigendi est *Lucrum cessans*, qui Titulus à præcedente differt, quòd *damnum emergens* dicatur, quando quis detrimentum patitur in his, quæ jam habebat: *Lucrum cessans* verò dicatur, quando non habet id, quod habiturus esset ultra ea, quæ jam antea habebat.

§. 21.

Lucri cessantis,

Eadem fere, quæ de damno emergente diximus, etiam de lucro cessante intelliguntur. Exemplum est, si ex defectu pecuniæ mutuo tibi datæ impediatur ab emendis mercibus, vel annuis Reditibus, ex quibus magnum mihi accessurum esset lucrum.

§. 22.

Vel ex mora,

Compensari oportet hoc lucrum, I. si ejus comparandi opportunitas mihi adimitur ex culpabili mora debitoris, qui solutionem convento tempore non præstat, vel qui pecuniam negotiationi expositam invito extorquet. Et quidem pro foro externo in Germania ad abbreviandas lites præsumitur, cessare in singulos annos lucrum aureorum quinque ex retardata solutione, (a) vel ob eandem rationem, ex coacta mutatione aureorum centum.

(a) *Recess. Spirens. ann. 1600. §. 139.*

§. 23.

§. 23.

Item II. compensatio lucri cessantis deduci potest in pactum, etiam antequam debitor moram committat, quando mutuans in gratiam mutuatarii omittit probabilem & propinquam spem lucri, quod faceret, nisi pecuniam mutuo daret.

§. 24.

Et quidem III. in casu omissæ probabilis spei lucri, potest etiam in pactum deduci quantitas certa, pro lucro cessante incerto, ita ut quantitas illa præstari debeat, si deinceps cesset lucrum majus, si minus, si omnino nullum, modo tempore dati mutui, propinqua & probabilis adfuerit opportunitas faciendi lucri.

Ratio hujus & prioris assertionis est, quia lucrum cessans ratione mutui est pretio æstimabile, & est quoddam damnum mutuantis: lucrum enim probabile & propinquum est reipsa commodum saltem in spe, bene æstimabile, quod facit sortem magis valere mutuanti, ultra ejus pretium substantiale.

§. 25.

Non extra omnem controversiam assertiones istæ (§. 23. 24.) sunt positæ. Certè I. non infimum contra eas argumentum est, quòd nullam Juris aut Canonici, aut Civilis legem invenias, quæ spontaneam lucri cessantis actionem permittat. Contra hoc respondent alii, hanc permissionem contineri in illis Canonibus, juxta quos licitè potest vendi res majori pretio, quàm præsentem tempore valeat, si verosimiliter plus valitura sit alio tempore, in quod volebat venditor rem servare. (a) Harum enim decisionum non est alia ratio, quàm quòd æstimetur probabilis spes lucri, quod vendens assequeretur, merces in illud tempus conservando. Ergo etiam licet in mutuo æstimare probabilem spem lucri, qua mutuans se privat, & pro eo aliquid ultra

fortem recipere, eo magis, quòd credito vendere sit implicitè mutuare. (b)

(a) C. 6. & fin. de Usur.

(b) Verba sunt JOS. BOUIDART, *Manual. Theol. tom. 4. tr. 6. fol. 365.*

§. 26.

*Doctores
veteribus,*

Opponunt II. S. THOMAM, (a) SCOTUM, (b) DURANDUM, (c) INNOCENTIUM, (d) & antiquos omnes, ex quibus neminem invenias, qui explicitis verbis, lucri cessantis rationem haberi posse adstruat, nisi ratione moræ, aut alterius culpæ debitoris. (e) Non terrentur hac auctoritate Doctores moderni. S. THOMAS quidem negare solùm censetur compensationem totius lucri, quod probabiliter speratur; cum istud etiam possit multipliciter impediri: admittit tamen compensationem pro valore spei probabilis. (f) SCOTUS, prout apertis verbis non adversatur, ita adstruere nostram assertionem videtur, dum admittit, mutuatarium obligari posse ex pacto ad Interest. DURANDUS utitur fere verbis S. Thomæ; haud dubiè ea etiam intelligit in declarato sensu S. Doctoris. INNOCENTIUS & alii antiqui apertius adversantur. (g) Sed prævaluit doctrina, quam tradidimus, etiam apud rigidiores Doctores passim. (h)

(a) 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1. *Recompensationem damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere; quia non debet vendere id, quod nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo.*

(b) *In 4. d. 15. q. 2.* (c) *In 3. sent. d. 37. q. 2. ad 1.*

(d) *In C. fin. de usur.* (e) *Ita loquitur SCOTUS de F. & F. l. 6. q. 1. art. 3.*

(f) *Hoc colligitur ex verbis S. THOMÆ 2. 2. q. 62. art. 4. C. aliquis damnificatur dupliciter. Uno modo, quia aufertur ei id, quod actu habebat, & tale damnum est semper restituendum secundum recompensationem aequalis. . . Alio modo, si damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur, quod erat in via habendi. Est tale*

tale damnum non oportet recompensare ex aequo, quia minus est habere aliquid in virtute, quam habere actu. Qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem, vel potestatem, & ideo si redderetur ei, ut haberet hoc in actu, restitueretur ei, quod est ablatum, non simpliciter, sed multiplicatum: quod non est de necessitate restitutionis. Tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundum conditionem personarum & negotiorum. Ita S. THOMAS. Fateor tamen, eum fortè loqui tantum hoc loco de damnificatione, quæ est læso involuntaria, adeoque non de lucro, quod cesset ex libera voluntate læsi, & absque ulla culpa lædentis.

(g) BALLARINUS de Usur. tom. 1. l. 6. c. 2. n. 10. notat, aliquos SS. Patres, quando de usura loquuntur, mentionem facere pecuniæ otiosæ. Unde infert, eos non excludere compensationem lucri cessantis, quando scilicet pecunia minimè fuisset otiosa, aut inutilis. Dein quòd Patres non exceperint casus, ubi lucrum cessat, rationem putat esse quia ipsis tales casus non fuerunt propositi. Utrumque hoc effugium esse leve, & gratis confictum, facile deprehendet, qui antiquos Doctores ipse inspexerit. Manet igitur, quòd antiqui nunquam in mutuo adstruxerint titulum lucri cessantis absque prævia debitoris culpa.

(h) Memorabile hoc exemplum est, quòd opinio ab antiquioribus vel apertè damnata, vel saltem apertis verbis nunquam tradita, tempore Soti adhuc tanquam minus probabilis agnita, à Patronis suis recentioribus & junioribus cum formidine & timore, ut ait Sotus, defensa; demum in adèd communem & certam transierit, ut teste P. DANIELE CONCINA Comment. fol. 160. è Catholicis hodie pauci, ilque inferioris subsellii eam impugnent: & hoc quidem in ea materia, in qua non multum fidentum est ratiocinationibus, sed inhærendum illi explicationi, quam de lege naturali & Divina nobis tradunt veteres Doctores. Contra hos tamen auctoritas Juniorum adèd invaluit, ut ad quæstionem, an Theologus, qui non nisi antiquas Regulas circa doctrinam morum vult sequi, & puriorem profitetur Moralem doctrinam Christianam, possit admittere hunc titulum lucri cessantis? Affirmativè responderit Doctor Sorbonicus, & Professor Theologiæ Regius JACOBUS de SAINTE BEUVE, referentibus Trivultienibus ad ann. 1705. Januar. art. 5.

§. 27.

*Et aliqua
ratione*

III. Ea potissimum ratio antiquiores Doctores movebat, quòd lucrum cessare, ut nomen sonat, sit hominem à lucro cohiberi: nemo autem cohibetur, nisi sua impediatur voluntas: involuntarium verò sola vis, metusve aut ignorantia facit: ergo ubi nullum istorum intercedit, non propriè censebant cessare lucrum. Unde nolebant agnoscere titulum lucri cessantis, nec permittere pactum de eo compensando, quando nec vis in extorquendo mutuo, nec culpabilis mora in restituendo admitta, sed pecunia liberrimè fuit credita.

§. 28.

*Defendi-
tur hic
titulus,*

Hanc tamen antiquorum rationem sufficienter elidunt, datæque assertiones confirmant rationes planè graves recentiorum Doctorum, qui datam de Titulo lucri cessantis doctrinam propugnant I. quia non patitur æquitas, ut mutuans pro beneficio dispendium patiatur, unde potius videtur præmium meruisse. (a) II. Pecunia ad lucrum faciendum destinata, & per destinantis industriam jam propinquè frugifera, plus valet, quàm eadem secundum se præcisè spectata: hujus igitur amplioris valoris compensatio merito exigitur. III. Spes lucri probabiliter futuri, est pretio æstimabilis in aliis contractibus, ut constat ex vendito jactu re-tis, spe fructuum agri, vel foetuum pecoris &c. ergo pariter in mutuo. IV. Si quis gratuito commodet instrumenta artis, potest pacisci de compensando lucro, aliàs percipiendo ex usu eorum instrumentorum: ergo pariter cum mutuo gratuito potest stare pactum de compensando lucro. V. Etiam antiquiores admittunt compensationem lucri cessantis, si quis ad mutuandum compellitur: cum autem compulsio illa non augeat valorem rei mutuatae, sequitur exinde, spem dicti lucri esse pretio æstimabilem ultra sortem, aliàs illicitum foret compensationem exigere. VI. Par est

est ratio lucri cessantis, ac damni emergentis; & ex utriusque discrimine aliud non sequitur, quàm non posse exigere totum lucrum speratum, sed posse solum exigere secundum valorem presentis spei. VII. Jactura illius spei verè est damnum quoddam emergens, utpote jactura boni actu habiti. VIII. Si probabilis spes lucri non foret justus Titulus aliquid exigendi; non possent licitè vendi merces majori pretio, de quo dictum est (§. 25.)

(a) c. 2. de Fidejussor.

§. 29.

Hæ rationes convincunt, non solis Mercatoribus licere aliquid exigere ultra fortem ratione lucri cessantis, sed quibusvis etiam aliis, modò observentur conditiones, fere eadem, quas ad Titulum damni emergentis requiri diximus. (Sub certis conditionibus.)
 (§. 17.) I. Ut mutuum verè sit causa lucri cessantis. II. Ut non suppetant aliæ pecuniæ otiosæ, quæ in idem lucrum impendi possint. III. Ut spes sit probabilis & propinqua lucri ex tali pecunia futuri. IV. Ut mutuatarius vel committat culpam, vel sit admonitus de lucro cessaturo. V. Ut non exigatur totum lucrum speratum, sed secundum valorem probabilis spei, deducta æstimatione laborum, expensarum, periculorum, quorum æstimatio determinanda est ex arbitrio prudentum. VI. Ut compensatio lucri cessantis non mox extrahatur ex pecuniis mutuatis. VII. Ut necessitas mutuatarii non sit tanta, quæ exigat gratuitum mutuum etiam cum lucro cessante.

Quod supra (§. 17. post lit. f.) annotavimus de damno emergente, dictum etiam esto de lucro cessante. Nec porro pactio de summa determinata ob cessationem lucri solvenda, opponi potest Constitutio PII V. quæ incipit: *In eam. data anno 1571. & relata in Bullario Cherubini tom. 2. inter Constitutiones ejusdem Pontificis num. 118.* Nam, quod post NAVARRUM & alios advertit GIBALINUS *de Usuris lib. 2. c. 5. art. 6. n. 9.* ea Constitutio agit de Cambiis duntaxat, eo quòd in ipsis majus sic usu-

ræ & injustitiæ periculum; neque ad mutuum est extendenda. Deinde pluribus in locis non est recepta.

SECTIO III. De Periculo Sortis.

§. 30.

Periculum sortis amittenda, **I**ngens sæpe periculum de sorte vel penitus amittenda, vel non sine magnis molestiis recuperanda incurrere Creditores, tum Sacræ Literæ, (a) tum quotidiana exempla luculenter testantur. Unde multi non immeritò absterrentur à dando mutuo, (b) natùmque est proverbium, amico non esse mutuum dandum, ne repetendo faciamus inimicum.

(a) Eleganter & accuratè id traditur *Eccli. XXIX. 4. seqq.* *Multi quasi inventionem estimaverunt fœnus (id est, mutuum sibi datum non aliter reputant, ac rem sorte bona inventam, de cujus domino inquirendo avarum vulgus non est sollicitum) & prestiterunt molestiam his, qui se adjuverunt. Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam: & in tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba tedii & murmurationum, & tempus causabitur: si autem potuerit reddere, adversabitur, solidi vix reddet dimidium, & computabit illud quasi inventionem: sin autem, fraudabit illum pecunia sua, & possidebit illum inimicum gratis: & convitia & maledicta reddet illi, & pro honore & beneficio reddet illi contumeliam.*

(b) *Multi non causa nequitia non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt. Ibid. v. 10.* id est, multi mutuum non dant, non quidem ex avaritia, vel odio; sed ex ea solùm ratione, ne adeò indignis debitorum fraudibus circumveniantur, & eorum, de quibus concessio mutuo optimè meriti sunt, ingratiſsimos animos, non ex alia, quàm singularis beneficentiæ culpa, experiri cogantur.

§. 31.

commune vel particulare, Periculum aliquod dicitur *commune, & universale*, quod in omni mutuacione reperitur, cùm quilibet etiam dives ino-

conformabit, præstando sibi per pignora securitatem recuperando mutuo, & amovendo periculum illius cum damno irreparabili amittendi, vel molestiæ in recuperando tolerandæ.

Bene fecit, & acutè factum defendit Persæus apud PLUTARCHUM *de vitioso pudore*. Ille enim cuidam sociorum argentum mutuo præbens, in foro & apud mensarium celebravit contractum: cùmque alter admirans diceret, adeone Persæe omnia legaliter? omnino, respondit Persæus, ut amicè recipiam, neque legaliter repetere necessum sit.

§. 34.

Nec est innatum mutuo.

Periculum damni, contra quod mutuans justè & convenienter præmunire se potest, non est intrinsecum, neque innatum mutuo. Licet enim cuiusvis mutuo annexum videatur commune & remotum fortis amittendæ periculum: pignora tamen, quæ justè & convenienter exigere creditor potest, securum eum faciunt, ne ex amissa sorte damnum sentiat: ergo periculum damni *irreparabilis*, utpote justè & convenienter evitabile in mutuo, non est mutuo intrinsecum, cùm neque ad substantialia, neque ad naturalia hujus contractus referatur. (*Diss. I. §. 47.*)

§. 35.

Unde creditor non tenetur illud subire:

Periculum mutuo extrinsecum non tenetur creditor subire ratione mutui. Nam ultra naturam contractus, contrahentes non obligantur ex contractu. Cùm igitur periculum damni *irreparabilis*, ex amittenda sorte incurrendi, non sit innatum mutuo, (§. 34.) hinc creditor ratione mutui non tenetur subire periculum damni *irreparabilis* ex amittenda sorte incurrendi, utpote contra quod præmunire se potest per pignora. (§. 32. 33.) Consequenter onus subeundi hoc periculum non est mutuuario debitum.

§. 36.

§. 36.

Sicut creditor magno suo commodo, & absque alterius injuria, fidejussores aut pignora petit: ita frequenter difficile accidit mutuatariis, hanc cautionem præstare. (a) Oportet sæpissime, si tamen mutuando benevolam me exhibere velim, ancipitem aleam subire, absque idonea alia cautione de recuperando mutuo, nisi quam conscientia debitoris, prosperæ sorti conjuncta, mihi præstat.

- (a) Quàm durum sit, res suas oppignorare, festivè exprimit CATTULLUS ad Furium Carm. 26. qui villam suam oppignoraverat pro quindecim millibus & ducentis sestertiis, alludendo ad vocem opponere, quod idem est, ac pignori dare.
- Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Favoni,
Nec sævi Borea, aut Apeliota;
Verùm ad millia quindecim & ducentos.
O Ventum horribilem, atque pestilentem!*

§. 37.

Subire periculum mutuo extrinsecum, mutuatario non debitum, est onus pretio æstimabile, etiamsi postea damnum bona sorte non eveniat; sicut idem quotidie observatur in aliis contractibus. (a) Tanto autem pretio æstimari onus periculi hujus potest, quanto æstimatur securitas pignori-bus acquisita. Hæc si creditori eripiatur, proh quanto conatu obsistit! quantis clamoribus fatigat tribunalia pro iis recuperandis. Periculum igitur damni irreparabilis in mutuo, debet esse onus pretio æstimabile, cum mutuo sit extrinsecum, & multo labore averti soleat.

- (a) Locas, vel commodas equum homini, iter instituenti per terram hostilem, vel à cujus imperitia meritò times equum graviter lædendum. Nisi securus sis per fidejussores aut pignora de damno qualicunque eventuro compensando, potes justè de periculo tibi compensando pactum locationi adjicere, etiamsi

C 3

postea

postea damnum nullum patiaris. Hoc periculum amittendi vel lædendi equi est locationi, aut commodato extrinsecum; sicut periculum damni ex amissa sorte ob defectum pignorum irreparabilis, est extrinsecum mutuo. Eadem est ratio de aliis contractibus. Discrimen inter mutuum & alios contractus dat FRANC. de ARAUXO *Decis. Moral. de Stat. Civil. Diff. 1. q. 1. n. 16.* quod pecunia mutuata transferatur in dominium mutuatarii, de cujus proinde periculo non potest pacisci mutuans: secus autem contingat in equo locato aut commodato, quippe qui manet semper in dominio locantis seu commodantis, qui proinde de ejus incolumitate utpote rei suæ potest pacisci. Verum hæc mera verba esse videntur. Idem enim damnum sentio, sive res mea pereat, sive pecunia debita non restituatur: consequenter periculum utriusque damni est æquè pretio æstimabile.

§. 38.

*Status
quæstionis.*

Hoc periculum amittendæ sortis hucusque explicatum, an justum præbeat titulum aliquid ultra sortem exigendi in mutuo, gravis est controversia. Firmandus bene est status quæstionis. Ponimus mutuas pecunias esse datas, non alia recepta securitate de iis recuperandis, quàm chirographo mutuatarii, in cujus fide & facultatibus firmitus niti non licet, quàm in fide & facultatibus aliorum, in quorum manibus sæpe experimur perire, vel non nisi magnis molestiis, & expensis judicialibus extorqueri posse summas capitales, adeò, ut probabile immineat periculum sortis amittendæ, vel saltem magnæ exantlandæ molestiæ in ea recuperanda; unde damnum est timendum, nec per pignora aut fidejussores, nec alia tuta ratione reparandum.

§. 39.

*Servatis
certis con-
ditionibus.*

Qui affirmant, auctarium ultra sortem ratione hujus periculi posse in mutuo exigi, sequentes requirunt conditiones. I. Ut auctarium deductum fuerit in pactum. II. Ut periculum sit verum, & in probabilibus conjecturis fundatum;

tum; conjecturæ autem satis probabiles sunt, si passim videamus, fortem periclitari apud ejusmodi conditionis homines. III. Ut ratione istius periculi non exigatur plus, quàm illud à prudentibus communiter æstimetur. IV. Ut mutuatarius à mutuante non compellatur ad secum paciscendum de isto periculo; sed plena ipsi libertas relinquatur, vel ad taliter paciscendum, vel ad pignus pro fortis securitate exhibendum. V. Ut auctarium non exigatur contra debitum charitatis, vel Eleemosynæ, cujus leges semper debent esse salvæ. (§. 17. VII. §. 29. VII.)

§. 40.

His conditionibus observatis (§. 39.) tenent multi, pactum de aliquo auctario supra sortem propter probabile illius amittendæ periculum, aut metum difficultatum, & expensarum in illa recuperanda faciendarum, licitum esse, modò mutuatarius aliunde illum metum & periculum non depellat sufficienter, per pignora, fidejussores &c.

Multi admittunt auctarium ob periculum sortis amittendæ.

Sententiam hanc tuentur:

GIBALINUS *de Usur. lib. 2. c. 4. art. 1.*

HENRIC. à S. IGNATIO *Ethic. amor. tom. 2. lib. 9. c. 31. 32.*

STEYAERT *Theol. Pract. aphorism. p. 3. Disp. 42. n. 10. Item in Appendic. ad Wiggers controu. 7. q. 2.*

BOUDART *Manual. Theol. tom. 4. tr. 6. fol. 368. seq.*

HIERON. NICOLIUS *Lucubrat. vir. J. lib. 3. tit. 15. n. 12. §. II. limita.*

PHILIPPUS à SS. TRINITATE *in 2. 2. de Fur. & Just. Disp. 8. q. 78. §. Dubitatur septimò.*

§. 41.

Rationes pro hac opinione sunt I. Qui subit periculum supra descriptum, (§. 38.) subit onus mutuo extrinsecum, (§. 34.) & pretio æstimabile: (§. 37.) consequenter pro eo in se suscepto licebit aliquid ex pacto petere. II. In aliis con-

Ex gravibus rationibus:

contractibus ultra obligationem illis propriam, aestimari potest periculum, in locatione, (§. 37. a.) in emptione debitorum periculorum, (a) in contractu assècurationis, (b) fidejussionis &c. (c) par autem est ratio de periculo probabili fortis amittendæ. III. Ob probabile periculum damni incerti licet pacisci de quantitate determinata ultra sortem exigenda: ergo idem licet ob probabile periculum amittendæ fortis. Nam naturæ mutui magis adversatur amissio fortis, quàm damnum inde emergens, cùm Jus naturale, Divinum & positivum exigat, ut fors restituatur: nullum autem jus prohibere possit, ne damnum fortè sequatur. Unde hic idem titulus bene refertur ad *interesse*. Sicut enim mea interest, ne damnum patiar; ita & multò magis interest, ne sortem amittam. Sicut autem periculum damni distinctum est ab ipso damno, & possum pacisci de compensando periculo, etiamsi damnum fortè non sequatur: ita etiam periculum amittendæ fortis est distinctum ab ipsa forte, & potest fieri pactum de eo, etsi fors ipsa postea non amittatur. (d)

(a) SOTUS de F. & F. lib. 6. q. 4. art. 1. ad 3.

(b) De hoc dicetur Capite sequenti.

(c) l. 6. §. fin. ff. mandati. l. 19. §. 1. ff. de donation. l. 23. C. ad SC. Vellejan.

(d) Maximum pondus addit Congregatio de Propaganda Fide, quæ, confirmante summo Pontifice Innocentio X, 12. Septembr. anno 1645. ad tertium quæsitum Missionariorum Sinensium in hanc sententiam respondit. Cùm enim hi Missionarii quærent, utrum Sinensibus liceat in mutuo 30. pro 100. juxta legem illius regni percipere; licet non interveniat lucrum cessans aut damnum emergens: sed ex ea solùm ratione, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet quòd mutuatarius fugiat, vel tardet in solvendo, vel quòd necessarium sit, coram Judice repetere, vel propter alia hujusmodi. Ad hoc quæsitum Congregatio censuit, ratione mutui immediatè & præcisè, nihil esse accipiendum ultra sortem principalem: si verò aliquid accipiunt ratione periculi probabiliter imminentis, non esse in-
quie-

quietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum & id, quod accipitur. Hujus responsi exemplum, fidem faciente manu Notarii Apostolici refert THOMAS HURTADO in *calce Resolution. de Martyrio Fidei*. Ejus veritatem in publica Disputatione Henricus à S. Ignatio, prout ipse refert *loco citato*, acriter defendit, tamque solidam pro benigniore sententia rationem adduxit, ut eam Platelius præfens demonstrativam judicabit, & suæ *Synopsi* inseruerit, ubi eam hodie legimus p. 3. c. 4. §. 5. n. 637.

§. 42.

Contra has rationes, pactum de auctario ob periculum amittendæ sortis solvendo rejiciunt, & usuræ condemnant multi Doctores, (a) ex his præcipuè rationibus. I. Non potest aliquid exigi, nisi compensationis nomine: ad hoc autem requiritur non merum periculum, sed reale damnum: Item compensatio ab iis solis exigenda est, qui damnum intulerunt: denique id solum exigendum, quanti damnum æstimatur: singulæ hæc conditiones in nostra quæstione deficiunt, quia aliquid exigitur ex solo periculo sine damno, & ab iis quidem, qui nullum damnum intulere; nec meræ damnorum reparationis, sed potius lucri & usuræ intentio alio nomine tecta proditur.

*Alii negant
I. quia pretium hoc
non habet
rationem
compensationis:*

(a) NATALIS ALEXANDER *Theol. Dogm. lib. 3. cap. 7. art. 5. reg. 3.* PETRUS BALLARINI *de J. Div. & nat. circa usuras lib. 6. c. 3.*

§. 43.

II. Periculum sortis amittendæ non redimitur per obligationem lucri; de hoc enim lucro ex iisdem causis æquale periculum est, ac de obligatione Capitalis; vel de utroque nullum. Potest igitur obviari periculo per idoneas sponsones, pignora aut hypothecas, non autem per pactum de aliquo lucro, quod computari non potest, nisi Capitale restituendum præsumatur. Qui autem nihil de cautione

II. Nec inde redimitur periculum;

D

soli-

solicitus, cautioni lucrum supponit, si de Capitalis periculo verè metuat, satis ostendit, se nolle cavere de damno, quod timet; sed hoc nomine supra æstimationem damni velle lucrari.

§. 44.

III. Non enim suscipit creditor periculum Juris:

III. Si quis periculum rei ita suscipiat, ut si quo casu pereat, ejus refarciendæ debitum assumat; hoc onus certè pretio æstimabile est, & *periculum Juris* appellatur. At in casu præsentis quæstionis, mutuans tale periculum in se non suscipit; sed mutuatario incumbit totum periculum rei mutuatae, aded, ut illam suo periculo præstare, ac si pereat, restituere in omni casu debeat. Cùm igitur omne periculum transeat in mutuatarium, injustè creditor pretium exigit pro periculo, quod in alium rejecit.

§. 45.

IV. Periculum autem facti non æstimatur;

IV. Si verò *periculum facti* intelligatur, scilicet periculum perdendæ aliquando fortis; illud mutuo intrinsicum atque insitum est, cùm creditor rem suam mutuo dando, & in dominium debitoris transferendo, dubiis incertisque rerum humanarum casibus exponat, consequenter damnum amissæ fortis infortunio imputandum sit. Hoc cùm in cæteris contractibus, & nominatim in famoso contractu trino non æstimetur, quid æstimabitur in mutuo? præcipuè cùm omne periculum in mutuo in se suscipiat mutuatarium: & mutuuum etiam, nisi charitatis præceptum moveat, iis fere solis credatur, qui solvendo futuri æstimantur.

§. 46.

V. Cùm debitor inde non liberetur periculo.

V. Ut quis justè periculi pretium exigit, necesse est, ut periculum in se suscipiat, & alium à periculo liberet; nemo enim pretium periculi solvit, nisi ut se eximat à periculo: igitur si mutuans exacto periculi pretio mutuatarium non liberet ab ullo periculo; iniquum est pretium, quod peri-

periculi nomine exigitur. Atqui in præfenti quæstione mutuarius à nullo periculo liberatur: consequenter non potest obligari ad solvendum pretium periculi.

§. 47.

VI. Summa æstimatio damni in nostro casu, ubi non loquimur de alio damno extrinseco, non est supra totius Capitalis æstimationem: Capitalis autem periculum, æstimabilius esse nequit ipso reali Capitalis damno: consequenter quidquid supra totius Capitalis æstimationem exigitur ratione periculi, injustè exigitur, aliàs magis exigeretur pro Capitalis probabili periculo, quàm pro certo totius capitalis damno. Pro damno autem totius Capitalis, non nisi ad restitutionem Capitalis mutuarius tenetur: ergo neque ad plus teneri potest pro probabili Capitalis periculo. Sic in mutuo centum aureorum, periculum perdendi centum hos aureos, nequit magis æstimari, quàm ipsum centum aureorum damnum: totum autem damnum hujus Capitalis posset compensari per centum aureos: ergo etiam periculum hujus Capitalis non potest magis æstimari; consequenter qui ultra centum aureos, ratione periculi aliquid exigit, injustè gravat debitorem.

VI. Periculum Capitalis non plus æstimatur, quàm totum Capitale:

§. 48.

VII. Hæc confirmantur ex paritate furis, quæ totam rem planè evidenter demonstrabit. Nam majus est pecuniæ periculum furto ablata, quàm mutuo data: atqui fur præter summam furto ablatam non tenetur aliquid restituere ratione periculi, in quod pecuniæ dominum ex culpa conjecit: ergo multò minus tenetur mutuarius aliquid superaddere titulo periculi. Nihil autem refert, quòd cum fure nullum pactum fit initum de compensando periculo, quod tamen requiritur ad obligandum mutuarium; nam fur tenetur de omni titulo justo, etiam non convento: mutuarius

VII. Unde fur ultra summam ablatam nihil restituit ratione periculi.

autem solum de convento, ut patet in eo, quod exigitur titulo damni emergentis, vel lucri cessantis. Fur enim ad ista tenetur absque omni conventionem; mutuarius autem tantum ex conventionem: consequenter si periculum sortis esset iustus titulus aliquid exigendi à mutuario ex prævia conventionem, foret etiam iustus titulus aliquid exigendi à fure absque prævia conventionem.

§. 49.

VIII. Con-
firmatur
ex legibus
Civilibus:

VIII. Per Leges Civiles de periculi pretio pacisci licet, si modo contractus in aleæ speciem cadat; id est, si periculum utriusque sit, utrinque lucris spes. (a) Atqui in contractu mutui, mutuarius, si periculi pretium cogatur solvere, ex una parte nunquam liberatur ab obligationem restitutionis, & ita nunquam potest lucrari; ex parte autem alia semper debet solvere pretium periculi, id est, certum damnum sine ulla lucris spe subire; quo nihil inæqualius, ac iniustius excogitari potest. Quæ isthæc, quæso, aleæ species est?

(a) Sic leg. 5. ff. de naut. fœn. allegat, & explicat BALLARINUS loc. cit. §. 3. ex SALMASIO.

§. 50.

IX. Lege
Evangelica:

IX. Multo magis pactum de periculi pretio reprobatum per Legem Evangelicam; Christus enim vult, ut mutuum detur etiam cum periculo sortis: ergo pro hoc periculo nihil licet exigere, præsertim cum periculum potissimum sit apud pauperes, consequenter posset plus exigi à pauperibus, quod est contra Christi mentem.

§. 51.

X. SS. Pa-
tribus:

X. SS. Patres agnoscunt periculum sortis amittenda, & tamen damnant lucrum inde ducendum, cum species crudelitatis sit, lucrum quærere ex aliorum infortunio.

§. 52.

§. 52.

XI. His omnibus maximum pondus addit GREGORIUS *XI. Et Jure Canonico.*
 IX. Pontifex in famoso Capitulo *Naviganti, de usuris.* Ex
 cujus claro textu usurarius est censendus, qui naviganti,
 vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantita-
 tem, recipit aliquid ultra sortem, eo quòd suscipiat in se
 periculum.

§. 53.

Quæ solutio his difficultatibus opponi possit, nunc di- *Responde-*
 spiciamus. Ad I. Sicut non solum lucrum reale, sed etiam *tur ad ha-*
 probabilis spes lucri; ita etiam non solum damnum reale, *rationes.*
 sed etiam probabile damni periculum potest pretio æstimari. *Ad I.*
 Periculum enim non pendet ab eventu absolutè futuro.
 Periculum fluctuantis navis æstimationem patitur, quamvis
 deinde incolumis portum teneat. Hanc æstimationem si
 placeat compensationis nomine significare, absque magna
 inconvenientia id fiet, modò quæstio non moveatur de no-
 mine. Hoc igitur sensu in præsentis quæstione, habentur
 requisitæ conditiones ad aliquid exigendum. Scilicet ad-
 esse ponitur probabile sortis amittendæ periculum: pretium
 pro eo creditor exigit ab iis, à quibus illud imminet, nempe
 apud quos pecunia mutuata exponitur periculo amissionis:
 & non plus exigitur, quàm quanti æstimatur hoc pericu-
 lum ex communi hominum sensu. Unde potest aliquid
 exigi ultra sortem ob tale periculum. Quòd nonnunquam
 subsit aliqua lucri spes, vel intentio, exinde non probatur ani-
 mus usurarius, modò lucrum non quærat immediate ex
 mutuo. Sicut spes lucri movere potest ad ineundum peri-
 culosum contractum Societatis, vel Asssecurationis; ita
 etiam similis spes absque injustitia, de qua sola hìc quærimus,
 movere potest ad subeundum periculum amittendæ sortis,
 mutuo prorsus extrinsecum, & à quo liberationem posset
 exigere per pignora, sponsores idoneos &c. Unde

§. 54.

Ad II.

Ad II. Fateor periculum sortis amittendæ non amoveri per pactum augmenti supra sortem exigendi. Sed tamen qualecunque hoc lucrum, si tamen ita nominare placeat, potest determinare mutuantes ad subeundum periculum mutuo extrinsecum, & ex contractu mutui nequaquam mutuatario debitum; sicut pactum de dandis pecuniis determinat ad alia onera, & pericula subeunda. Quantis periculis se obijciunt nautæ, milites, alii, ex spe alicujus emolumenti! Quamvis igitur per pactum talis augmenti non exerceatur opus magnæ liberalitatis, aut Evangelicæ perfectio- nis; usura tamen non committitur, cum tale lucrum non exigatur pro usu pecuniæ mutuatae, sed pro periculo penitus separabili. Dein si pecunia mutuo data, per plures annos non repetatur, mitius demum feretur illius jactura, quando per intermedium tempus aliquæ præstationes fuerint acceptæ. Licet igitur per ipsum pactum mutuo adjectum non removeatur periculum sortis amittendæ; minuitur tamen illud per spem pinguioris auctarii, & per actuales præstationes annuas. Id autem fixum supponimus, ob spem lucri compelli non debere mutuatarium ad pactum de pretio periculi ineundum, si ipse potius velit alia via idoneè cavere. (§. 39. IV.)

§. 55.

Ad III.

Ad III. Nequaquam hic sermo est de hoc periculo, quod *Juris* vocant, suscipiendo; id enim fieri solet per alium contractum, v. g. Assurationis, de quo inferius. Datur mutuum ad consumptionem, adeoque certò perituum: an autem pereat cum damno vel lucro mutuatarii, parùm interest mutuantis. Periculum hoc incumbit totum mutuatario, nec illius intuitu pretium exigit mutuans per pactum, de quo præsens controversia. Hoc *periculum Juris* mutuatario incumbens quid præstat mutuanti? Scilicet reddit huic obli-

obligatum & Juris vinculo adstrictum mutuatarium. Quid autem prodest mutuanti hæc obligatio, si mutuatarius illi satisfacere vel non velit, vel non possit? In eo igitur quoad præsentem quæstionem versatur periculum creditoris, quòd iste ex circumstantiis personæ, temporis aut negotii, sæpe valde dubius reddatur de implenda obligatione, quam periculum Juris imponit debitori. Frequenter mutuatarius habet obligationem restituendæ, creditor autem damnum non restitutæ pecuniæ. Utrúmnam ex his pretio æstimabilius videtur? sustinent plurimi debitores quieto animo obligationem restituendi: an creditor eadem æquanimitate ferat probabile damnum pecuniæ non restituendæ? Hoc igitur periculum, quod *facti* vocant, pretio est æstimabile. Si verò

§. 56.

Ad IV. Periculum facti tam leviter, imò nihili æstimari *Ad IV.* debet, cur igitur etiam probissimi creditores, cur Montes Pietatis tam sollicitè indemnitati suæ contra periculum *facti* consulunt per pignora? cur periculum perdendæ sortis non imputant infortunio? Malè asseritur, quòd hujus periculi æstimatio non habeatur in cæteris contractibus. Nam ubicunque periculum est, an obligatio sit implenda, vel an res in pactum deducta, sit ad me perventura, toties habetur ratio periculi. In contractu trino, quem infra explicabimus, non omne *periculum facti* negligi credimus. Quod enim inde jure societatis, aut assecurationis exigitur, non adeò determinatam habet quantitatem, ut non augeri vel minui per pactum possit, proportionem desumpta ex majore securitate, vel periculo fortis recuperandæ. Dein, qui emit sementem in herba, aut jactum retis, leviori certè pretio emit, quàm emeret maturam segetem, aut copiosum piscium numerum: idque non ob aliam rationem, quàm ob *periculum facti*, cui herbescens frumentum, & jactus retis exponitur. Ob eandem fere rationem viliùs æstimantur de-
bita

bita *Immatura*, cùm plurima pericula probabiliter eventura sæpe prævideantur, donec hæc debita ad maturitatem perveniant, id est, donec tempus advenerit ea expungendi. Quod de periculo in mutuatarium translato regeritur, vel non est ad præsentem quæstionem, vel evertit distinctionem inter periculum Juris, & facti. Obligatio, quæ stringit mutuatarium, securum non reddit mutuantem. (§. 55.) Docet experientia, tam apud pauperes, quàm apud eos, quos divites æstimamus, periclitari frequenter summam Capitaalem. Sive ex præcepto charitatis, sive ex alio motivo detur mutuum; idem tamen præceptum, vel motivum non exigit, ut perdat mutuans pecuniam suam; alias enim obligaret potiùs præceptum eleemosynæ. Unde etiam damnandus non semper est, qui intendit auctarium supra sortem, non quidem ex mutuo, sed ex alio minimè innato titulo percipiendum.

§. 57.

Ad V. Ad V. Malè assumitur hæc propositio, quòd, qui pretium periculi exigit, periculo alterum liberet. Mercatores ob plurima in se suscepta pericula majoris æstimant suas merces: quem, quæso, periculo liberant? an cives, qui merces ab iis emunt, navigandi ad Indos habent animum, & ab his navigationis periculis, mercatorum industria liberantur? De periculo *Juris* intelligi possunt, quæ obijciuntur; nequaquam de periculo *facti*. Hoc autem, donec melioribus argumentis dimoveamur, esse pretio æstimabile tenemus, nisi fortè lusum quæras in voce *pretii*, qua hoc loco quamcunque compensationem intelligimus. Igitur dum Mercatores pericula maris subeunt, liberantur cives non quidem à simili maris periculo: liberantur tamen à magna molestia carendi variis mercibus. Hæc ipsa ratio est, quòd mercator pro civibus dicatur suscipere periculum, & possit pro eo pretium exigere, vendendo cariùs merces omnes,
licet

licet aliquas acquirat sine damno, superatis feliciter periculis. Simili modo dum creditor in se suscipit periculum facti circa sortem fors amittendam; liberatur debitor magno incommodo dandi pignora vel sponsores, quos creditor posset exigere: imò liberatur periculo perdendi hæc pignora pro eo casu, quo sortem restituere non poterit. Hoc autem commodum nequaquam est debitum mutuatorio: molestum tamen est mutuanti: cur igitur hic non possit de aliquo auctario seu compensatione hujus periculi pacisci, etiamsi postea damnum reale non sentiat?

§. 58.

Ad VI. Dico, periculum recuperandi solutionem centum aureorum in casu nostræ quæstionis, esse prorsus separatum à debito vel damno centum aureorum; aliàs ad avertendum istud periculum injustè retinerem pignora, injustè daretur actio pignoratitia. Cum enim istæ actiones & jura sint valde æstimabilia, non possent ea retineri ad avertendum periculum amittendæ fortis, cum tali ratione haberetur aliquid pretio æstimabile ultra sortem ratione mutui; adeoque committeretur usura per retentionem pignoris. Imò non solum tenetur debitor molestiam subire concedendi pignora, iisque fortè in perpetuum carendi; sed insuper debet in Montibus Pietatis dare aliquid in salarium ministrorum pro labore custodiendi pignora. Si igitur tenentur debitores suis expensis Montem securum reddere: cur non possint pacto obligari ad aliquid præstandum pro immunitate ab hoc onere? Meliùs videtur consultum pauperibus, si dato modico auctario liberentur à dando pignore, quàm si debeant cum pignore simul præstare expensas pro eo custodiendo. Fateor, periculum perdendi centum aureos non esse æstimabilius, quàm damnum centum aureorum: consequenter pro periculo centum aureorum, non possum pacisci de centum aureis exigendis præter debitum

E

illo-

illorum: possum tamen pacisci de modico aliquo auctario pro ratione periculi percipiendo præter debitum centum aureorum; quia hujus ipsius debiti solutio ponitur esse incerta: incertitudo hæc autem est mutuo prorsus extrinseca. Sic etiam fidejussor potest aliquid exigere pro periculo, cui se subjicit, non quidem ultra summam Capitaalem, pro qua spondet; sed tamen proportionatum aliquid, etiamsi fortè nihil sit soluturus ex fidejussione sua. Paucis: sicuti præter obligationem debitoris ad centum aureos, possunt ad securitatem fortis recuperandæ retineri pignora, & actiones institui ad pignora obtinenda, retinenda & recuperanda, imò pro custodiendis pignoribus aliquid in Montibus Pietatis exigi, quia hæc securitas à Mutuatione est sejuncta: ita etiam pro periculo fortis amittendæ potest aliquid ex pacto exigi, cum istud periculum sit mutuo extrinsecum, & pretio æstimabile. Sicuti igitur, qui habet securitatem per pignora, nihil remittit de debito centum aureorum: ita etiam compensato periculo amittendi sortem, manebit totum debitum centum aureorum.

§. 59.

Ad VII. Ad VII. Quæro ego, cur pecuniæ dominus non petat pignora à fure, aut idoneos sponsores? si dicas, etiam id futurum esse, si fortè restitutio consentiente domino sit differenda in longius tempus. Ego pariter ex his eruo responsionem ad oppositam *demonstrationem*. Periculum non æstimatur post eventum, sed antea per pactum ex eo, quòd quis sine obligatione & sponte in gratiam alterius hoc periculum subeat. Sic in locatione equi nihil exigi potest propter periculum, si conductor contra voluntatem domini in hostilem terram transferit, modò equus salvus redeat: potuisset tamen antea dominus de pretio hujus periculi pacisci, si lubens volensque equum suum eidem commisisset. Si quis nolens & invitus imponeretur navi, non posset,
post-

postquam incolumis revertitur, pretium poscere periculi, cui erat expositus: potuisset tamen antea de tali pretio pacisci, si in cuiusdam gratiam sponte hoc periculum subivisset. Eadem ratione creditor non potest pretium exigere, quod sustinuerit periculum, sed quod libens volensque fubeat eo tempore, quo sibi securitatem posset procurare per pignora. Ex una parte creditor indulget spatium & tempus ad solutionem: ex altera non petit securitatem de recuperando credito: utrumque requiritur ad pactum de compensando periculo. Igitur æstimationem periculi non debet præstare fur, quia dominus nequaquam vult istud periculum in se suscipere: obligat enim furem ad pecunias non consumendas, sed mox absque ulla mora restituendas. Econtra Mutuatario concedit pecunias liberè consumendas, & non nisi post longius tempus reddendas, quod est mutuo proprium: præterea autem libens & volens non exigit securitatem de recuperandis pecuniis, quod est mutuo penitus extrinsecum, cum periculum oriri supponatur ex particularibus personæ, negotiique circumstantiis. Si tamen fur non posset mox restituere, & dominus longiorem moram sponte concederet, haud dubiè posset etiam adjici pactum de auctario ultra summam furtivam exigendo ratione periculi, quod dominus de novo in se susciperet; sicuti posset petere pignora, per quæ sibi securitatem conciliaret. Quod autem fur absque pacto ad id non teneatur, facilè capitur, sicuti etiam absque pacto non tenetur de probabili damni periculo, si revera damnum non sit secutum: & tamen etiam rigidi Doctores admittunt pactum de quantitate determinata solvenda pro periculo damni probabiliter secuturi, licet illud fors actu non eveniat. Negatur itaque illa universalis propositio, quod fur teneatur de omni justo titulo etiam non convento. Id enim tantum verum est, quando reale interessè damni emergentis, vel lucri cessantis intercedit; non autem, quando agitur so-

lùm de periculo. Nam restitutionem *veri interesse* metimur ex culpa: compensationem *probabilis interesse* metimur ex pacto. Discrimen est latissimum; *verum enim interesse* debet compensari quantum quantum est: *probabile autem interesse* compensatur ex æstimatione partium, quæ non datur sine pacto. Sicuti ex furto, ita etiam ex mora non oritur compensatio probabilis periculi, nisi præcesserit pactum.

§. 60.

Ad VIII.

Ad VIII. Lex allegata diversimode legitur ab Interpretibus. Ea præsertim verba, in quibus vim Adversarii ponunt, *si modo in aleæ speciem cadat*, legi juxta vulgatam editionem debent cum particula *non*, qua ratione totum argumentum evertitur. Unde impugnari quidem posset Salmasius, qui eandem lectionem tenet; nequaquam autem nos, qui nihil commune cum Salmasio habemus. Probabile non est, ut putant aliqui, Jctum voluisse approbare contractus, qui in aleæ speciem cadant, cum alea sit damnata in Legibus. (a) Dein posita etiam lectione, quæ in objectione innuitur, non satis ex ea probatur, quod omne periculi pretium requirat aleæ speciem ex utraque parte: sufficit, si aleæ speciem habeat ex parte creditoris, qui vel omnino nihil recuperabit, vel obtinebit sortem cum auctario. (b) Demum potest dici, quod in nostrâ quæstione debitor jam præsens habeat commodum, sibi ex contractu mutui nequaquam debitum, quod scilicet non exigantur pignora, sponsores, aut aliæ idoneæ cautiones. Consequenter hoc auctarium erit vera compensatio commoditatis præsentis, debitori nequaquam debitæ.

(a) Vid. JUSTUS ZINZERLING, *singulari disputatione in hanc Legem, inter Basileenses Volum. 1.* GOTHOFRED. *In Notis ad eand. Leg.*

(b) Sicut alea est, dum spes emitur; ita alea est, dum periculum venditur. *l. 8. ff. de contract. empt. l. 11. ff. de hered. vel act. vend.*

§. 61.

Ad IX Si Christus vult, ut mutuum detur, etiam cum *Ad IX.*
periculo sortis; cur ergo à pauperibus petuntur pignora in
Montibus Pietatis? cur periculum perdendæ sortis non tolera-
tur ex Evangelica perfectione? Additur in conclusione, non
debere lædi charitatem. Nos hîc loquimur de Justitia com-
mutativa, & dicimus, auctarium ob probabile periculum
amittendæ sortis nullam continere injustitiam. Quid au-
tem in casu particulari, charitatis leges exigant, ex aliis
principiis decidi debet. Nónne etiam charitatis leges pos-
sunt exigere, ut reddantur pignora, non restituta sorte, si
ex defectu rei oppignoratæ mutuatarîus veniat ad extre-
mam necessitatem? & tamen generaliter dicitur, quòd pos-
sint peti pignora. Non apud solos pauperes periclitari for-
tem, indicat S. Scriptura, dum monet: *Noli scenerari ho-*
mini fortiori te: quòd si sceneraveris, id est, mutuum dederis,
quasi perditum habe. (a) Per fortiores non intelliguntur pau-
peres. Certè experientia teste iis, qui ex agricultura, vel
artificio sustentationem quærunt, & communiter nomine
pauperum veniunt, longè securiùs datur mutuum, quàm
nobilibus, qui sunt difficilis conventionis.

(a) Eccli. VIII. 15.

§. 62.

Ad X. Bene ostendunt SS. Patres, sceneratores, qui *Ad X.*
mero lucro inhiant, justo DEI judicio sæpe sortem amit-
tere. Argumentum probat, frumentum non posse vendi
majore pretio, si fortè ex aliqua poena Divina, magna sit
frumenti raritas, & agrorum sterilitas.

§. 63.

Ad XI. Capitulum *Naviganti*, multos torquet Inter- *Ad XI.*
pretes, & vicissim in varios torquetur sensus. (a) Aliqui
errorem librarii intervenisse, & omissam particulam nega-
tivam

E 3

tivam putant, legendumque, usurarium non esse censendum &c. occasionem id suspicandi facit particula *quoque*, quæ mox subsequitur, ubi in alio quodam casu absolvitur quis ab usura, *ille quoque non debet usurarius reputari* &c. Unde ex connexionis modo, imò etiam ex paritate rationis, idem in utroque casu juris esse credunt. Quamvis omnium Manuscriptorum Codicum Fides lectioni negativæ repugnet, plus tamen pro hac lectione negativa, ipsius tenoris & dispositionis connexio ponderis habet, juxta notam recentissimæ Corporis Juris Canonici editioni adjectam. (b) Verùm hanc explicationem de omissa particula *non*, esse contra mentem Pontificis, satis clarè erui videtur ex argumento, quod à multis Viris de Jure Canonico optimè meritis non animadversum miror. Nempe S. Raymundus de Pennafort, qui Decretales Gregorii IX. compilavit, iisque hoc ipsum Capitulum inseruit, scripsit quoque Summam de Pœnitentia, quam licèt fortè ante collectos Decretales inchoaverit, certè postea magis expolivit. (c) In hac verò Summa (d) iisdem prorsus verbis, quibus utitur Gregorius IX. in memorato Capitulo *Naviganti*, usuræ damnatur, qui naviganti & eunti ad nundinas certam pecuniæ quantitatem mutuatur, recepturus aliquid ultra sortem pro eo, quòd suscipit in se periculum. Quam decisionem S. Raymundus variis rationibus confirmat. Dubium esse nemini potest, quin decisio ista vel ex Summa Raymundi in Decretales Gregorii, vel ex his in illam translata fuerit. Imò in dicta Summa mox subjungitur, expressam hodie esse Decretalem de hoc casu. Verba autem hæc, nisi in ipsis Codicibus antiquis Summæ Raymundianæ reperta essent, potiùs in margine, quod sæpe faciunt, adnotassent Editores, quàm ipsi textui inseruissent. Indubitata igitur videtur lectio affirmativa, quam pleræque editiones servant. (e)

(a) LUPUS *de Usuris. Comment. 3. præfat.* vocat hanc Constitutionem *duram atque asperam, quæ redditur molesta nota*
tam

tam usurariis in fœnore exercendo, quàm Interpretibus in eam exponendo.

- (b) Hanc conditionem adornavit JUSTUSHENNINGIUS BOEHMER.
 (c) De hoc vid. BOLLAND. in *Act. SS. ad 7. Januar. fol. 411. Lit. K.*
 (d) *Lib. 2. tit. de Usuris. §. 7. fol. 232.*
 (e) Errorem typi irrepsisse credo in textum, quem ponit EMMAN. GONZALEZ. Ponitur enim in hoc Capitulo particula *non*, cum tamen in subjecto Commentario textus explicetur in sensu affirmativo.

§. 64.

Supposito sensu affirmativo decisionis Gregorianæ, tot ac tam diversæ sunt Doctorum interpretationes, ut eas *Variè respondent.* ferre pigeat, (a) à quibus se breviter expedit ZYPÆUS, (b) dicendo, hoc Capitulum nullibi gentium, ut sonat, esse receptum. Plerique casum dicti Capituli intelligunt de eo, qui noluit aliter concedere mutuum, quàm hac conditione, ut simul susciperet in se periculum, & exigere liceret auctarium sub pallio prætensi periculi. Licet enim iste revera suscipiat aliquod periculum, imponit tamen mutuatario obligationem, ita secum paciscendi, quod est contra naturam mutui gratuiti. (§. 39. IV.)

- (a) Videri possunt GREGOR. THOLOS. *de Usur. lib. 2. c. 5. n. 9.*
 FRANC. de ARAUXO *Decis. Moral. de Stat. Civil. Disp. 1. q. 1.*
 VELASQUEZ de AVENDANNO *tr. de Censib. Hispan. C. 21.*
 HONOR. LEOTARDUS *de Usuris quest. 23.*
 GIBALINUS *de Usuris lib. 2. c. 4. art. 3. n. 20. seqq.*
 PETRUS SANTERNA *de Assesuration. p. 1. n. 10. seqq.*
 NAVARRUS *Manual. Confess. c. 17. n. 284.*
 SCACCIA *de Commerc. §. 1. q. 1. n. 498. seqq.*
 LUPUS *de Usuris Commentar. 3. §. 1.*
 Et omnes, qui scripserunt Commentarios ad Titulum Juris Canonici de Usuris.
 (b) *Fur. Pontif. nov. lib. 5. tit. de usur. n. 4. cum PAULO BUSIO ad ff. de nautic. fœnor. n. 4.*

§. 65.

§. 65.

*Evitata
hac obje-
ctione,*

Veneror ego Interpretum variorum dicta & sensa, sed neminem ad mentem Summi Pontificis Gregorii IX. propius accedere credo, quàm B. Raymundum de Pennafort, qui non solum hanc Constitutionem suæ collectioni inseruit, sed haud dubiè ejus condendæ auctor fuit. (a) Hic verò in sua Summa (b) apertis verbis declarat, hanc Decretalem non esse intelligendam de *periculo facti*, sed potius de *periculo Juris*, scilicet quando quis subit periculum perdendi ipsum jus ad repetendum mutuum. Verba sunt ista: *Aliquis mutuat naviganti & eunti ad nundinas certam pecuniæ quantitatem, recepturus aliquid ultra sortem pro eo, quod suscipit in se periculum, id est, si pecuniam; vel merces inde emptas portaverit salvas, aliter non teneatur sibi etiam de sorte.* Cùm igitur verosimiliter ipse B. Raymundus hunc casum ex sua tum jam inchoata Summa Pontifici decidendum proposuerit; certè Pontifex non in alio sensu decidisse illum censetur, quàm quo à Collectore Decretalium intelligeretur. Hic de periculo Juris intelligebat; consequenter in præsentì quæstione, ubi de *periculo facti* agimus, allegari hæc decisio non potest. Quis autem sensus illi tribuendus sit circa *periculum Juris*, sequenti capite examinandum venit, ubi de *contractu Asserurationis* agetur.

(a) Inscríbitor hæc Decretalis *Gregorius IX. Fratri R.* notat Gonzalez, agnosci non posse, cui *Fratri R.* rescribatur? Ego nequaquam dubito, quin rescriptum sit *Fratri Raymundo* de Pennafort Decretalium Collectori, qui tres casus circa usuras, quos in sua Summa attigerat, nondum autem clarè decisos invenerat, retulerit ad Gregorium, & authenticam decisionem petierit.

(b) *Loc. cit. (§. 63. d.)*

§. 66.

Concluditur.

His in utramque partem bene consideratis, & maturè perpensis, longè aliter me affectum sentio, quàm nonnemo, qui

qui non nisi *demonstrationes* venditat, crediderit. Rationes quidem eorum, qui ex periculo amittendæ sortis, justum titulum exigendi aliquid ultra sortem eruunt, semper mihi videbantur graves, nec contemnendæ. Retrahebat tamen à firmo assensu formido quædam, ne in hac delicata materia, benignior doctrina fuco rationum illuderet judicio meo; & assuetudo loquendi, agendique, quam in his terris tenent omnes, obtegeret sophismata in benignioris sententiæ argumentis latentia. Unde postquam in recentissimis rigidiorum Doctorum libris, evidentes demonstrationes contra hunc titulum jactari conspicerem, legebam avidè, relegabam attentè, ea solùm intentione, ut de injustitia hujus tituli convincerem, & in tutiore sententia firmarer, qua animi præparatione me satis aptum credebam ad recipiendam evidentium argumentorum lucem, quam Germaniæ, usurarum tenebris involutæ, affusuros se sperant Zelosi isti Theologi. Aliud expertus sum; quo attentius enim eorum doctrinam perpendi, eo certius persuasus fui, rationes ab ipsis adductas, vel eundem quæstionis statum non constanter tenere; vel æquivocationibus quibusdam laborare, prout ex datis ad eorum argumenta responsis, satis patere existimo. Unde nunc demum, quod hucusque ausus nunquam fui, profiteor, me adherere benigniori doctrinæ, asserenti, periculum amittendæ, vel magna cum molestia recuperandæ sortis, esse justum titulum paciscendi de auctario ultra sortem solvendo in Mutuo.

SECTIO IV.

De Jure Pignoris.

§. 67.

Jus Pignoris constituitur in securitatem debiti. Per pignus enim intelligimus rem à debitore traditam creditori, ut, nisi debito tempore solvatur debitum, ex eadem ipsi satisfiat.

F

§. 68.

Art. 1.
DE PIGNO-
RE IN GE-
NERE.

Si ex pi-
gnore præ-
ter securi-
tatem de-
biti,

§. 68.

*Quæ-
tur alia
utilitas,*

*Si quis præter securitatem debiti, aliam ex pignore utilita-
tem querit, extra naturam pignoris id facit, cum pignus solum-
modo intendatur in securitatem debiti. (§. 67.)*

§. 69.

*Usura
committi-
tur.*

*Utilitas ex pignore pro mutuata pecunia dato, queri non po-
test absque vitio usuræ, nisi præter usum pecuniæ creditæ,
alius justus accedat titulus. Hoc enim deficiente, utilitas
illa non perciperetur ratione pignoris: (§. 68.) sed solum
propter usum pecuniæ creditæ, quæ est usura omni jure pro-
hibita. (Diff. I. §. 83. seqq.)*

§. 70.

*Unde pa-
ctum An-
tichreseos,*

*Pactum Antichreseos est, quo jus re oppignorata utendi
fruendi, loco pecuniæ creditæ in creditorem confertur. Sicut
contractu pignoris consulitur securitati debiti; sic apud eos,
qui usuras permittunt, pactum Antichreseos adjicitur pro
securitate usurarum, quarum compensatio sunt fructus pi-
gnoris Antichrestici.*

§. 71.

Est illicitum,

*Illicita usura, aut quod loco usuræ est, sola stipulatio-
ne, vel pacto non potest licitum fieri. (Diff. I. §. 153. 154.)
ubi igitur præter usum pecuniæ creditæ non intercedit legi-
timus titulus percipiendi emolumentum, ibi nec licet adji-
cere pactum de utendo fruendo pignore, cum hi fructus
essent compensatio usuræ illicitæ: (§. 70.) consequenter pa-
ctum Antichresticum est illicitum & usurarium.*

§. 72.

*Si Anti-
chresis
strictè su-
matur.*

*Pactum, vi cujus permittitur usus aut fructus rei op-
pignorata, adæquans emolumenta ex justo titulo in mu-
tuo debita, v. g. damni emergentis, aut lucri cessantis;
non*

nōn est illicitum : quia usus pignoris non conceditur pro usu pecuniæ, adeoque nec in compensationem usurarum strictè dictarum. Sicut autem ista emolumenta dicuntur usuræ minus strictè sumptæ: (*Diff. I. §. 75.*) ita etiam simile pactum vocari potest *Antichrestis minus strictè dicta.* (a)

(a) Erit contractus mixtus ex pignore & commodato, si usus aut fructus liberaliter donetur: vel mixtus ex pignore & locato, si fructus pignoris æstimato concedantur, ut ex pensione deducantur emolumenta aliàs debita. Vid. WOLFFIUS *Jus natur. p. 5. §. 1223. seq.*

§. 73.

Si usus ac fructus rei oppignoratæ non solum adæquat, *Deductis fructibus,* sed etiam superat auctarium ex alio titulo debitum vel licitum, *creditor antichresticus tenetur excessum restituere, aut in sortem computare;* nam animus donandi in debitore non præsumitur.

Pro tali casu tenetur creditor antichresticus debitori rationem reddere de fructibus perceptis, cum aliàs constare nequeat, quid sit restituendum. Res hæc est molestissima, & fomes discordiarum, quando res pignori data fert fructus valde incertos, modò pauciores, modò plures. Hinc variæ excogitatæ sunt cautelæ, quibus se ab hoc onere reddendarum rationum liberare possint creditores, de quibus STRYCKIUS *tr. de cautel. contract. sect. 2. c. 4. §. 23. seqq.* cavendum semper, ne palliata usura intercedat.

§. 74.

Restituta sorte, restituendum est pignus integrum, cum fructibus, deductis tamen expensis, & iis, quæ alio titulo debentur. (a) *Qui ex alio titulo debentur,*

(a) *C. 1. & 2. de usur. c. 7. de Jurejur. c. 6. de Pignorib.* quænam expensæ deduci possint, non est hujus loci, ut fufius tradamus, uti nec alia, quæ circa usum pignoris statuuntur. Vid. LEOTARD. *de usur. q. 11.* GAITUS *de Credit. c. 4. q. 8. & 9.* EMAN. GONZALEZ *inc. 6. de Pignorib.* & alii apud hos citati.

§. 75.

*Ratione
pignoris
nihil potest
percipi.*

Fluit ex dictis, quòd *Jus Pignoris non præbeat justum titulum percipiendi aliquid ultra sortem in mutuo.* Particularis ratio pugnat pro quibusdam pignoribus, de quibus nunc inquirendum. I. De Pignore Dotali. II. De Pignore Feudali. III. De Oppignorationibus Germaniæ.

§. 76.

*Art. 2.
DE PIGNO-
RE DOTA-
LI.
In societate
conjugali*

Contractus Connubialis perpetuam vitæ societatem ad procreandam & educandam sobolem inter conjuges intendit; & quod consequens videtur, communem utriusque fortunam, communem in administranda re familiari & educanda prole opem ac consilium exigit.

§. 77.

Alteruter

In societate duorum, communis administratio locum habere non potest, nisi penes alterutrum major negotia dirigendi facultas constituatur. Sperandum enim non est, ut in eligendis mediis uterque semper consentiat: nec numerus suffragiorum inter duos vincere potest.

§. 78.

*Prævalere
debet:*

Cùm inter duos conjuges sit intima societas: (§. 76.) & in societate duorum alteruter prævalere debeat: (§. 77.) oportet, ut in conjugio, vel uxoris vel mariti potior sit auctoritas.

§. 79.

*Neuter
quidem ex
regulis
Justi;*

Ex Regulis JUSTI, neutri conjugum potestas major competit. Ex officiis enim, ad quæ lex naturalis conjuges obligat, non apparet, uter majus jus in alterum sibi arrogare possit.

§. 80.

*Sed ex re-
gulis De-*

Ex Regulis DECORI, potiores sunt partes mariti, sic statuente Lege Divina; (a) & suadente ratione, quæ attendit ad

ad id, quod plerumque solet contingere. Plerumque au- ^{cori mari-}
tem maritus ob vires corporis & mentis, aptior est diri- ^{nis.}
gendis negotiis, ad societatis connubialis salutem, utilita-
tēque pertinentibus. Unde cū in administratione ne-
gotiorum conjugalium unus prævalere debeat, (§. 78.)
meritò hæc prærogativa conceditur marito. (b)

(a) *Genes. III. 16. I. Corinth. XIV. 34. Eph. V. 23. Coloss. III. 18.*
I. Timoth. II. 11. 12. I. Petri. III. 1.

(b) Hoc ipso servatur perfecta æqualitas inter conjuges. Impar
enim erit conjugium, si pars corpore & animo debilior quoad
omnia æquiparetur fortiori, canente MARTIALE VIII. 12.

*Inferior matrona suo sit, Prisce, Marito:
Non aliter fuerint fœmina virque pares.*

§. 81.

Quia vi societatis, communi ope res familiaris est di- ^{Uxor con-}
rigenda, & soboles educanda; (§. 76.) oportet, ut etiam ^{fert do-}
uxor pro facultatibus suis media conferat in alimenta, & reli- ^{tem,}
quam sustentationem, qua & ipsa, & proles, & res com-
munis familiæ indiget. In his tamen administrandis, æquè
ac in cæteris negotiis connubialibus, (§. 80.) potior est
potestas mariti.

§. 82.

Quæ ad onera matrimonii sustinenda foeminæ nuptu- ^{Admini-}
ræ conceduntur, *Dotis* nomine veniunt. Cū igitur circa ^{strandam}
alendam uxorem & liberos, cæteraque matrimonii onera, ^{à marito.}
potiores sint partes mariti; (§. 80.) *Dos marito offerenda est*
ab uxore pro ferendis matrimonii oneribus.

Apud antiquos Germanos *dotem non uxor marito, sed uxori ma-*
ritus offerebat. TACITUS *de morib. German c. 18.* Sed pruden-
ter etiam in Germaniam invec̄ta sunt jura dotium ex legibus
Romanis, quæ dotem ferendis matrimonii oneribus destinant.
l. 7. pr. l. 56. §. 1. l. 76. in fin. ff. de Jure dot. l. 20. C. eod.

§. 83.

*Ex cujus
fructibus*

Quantum & quale jus circa bona uxoris marito competat, desumendum est, vel ex pacto cum uxore inito, vel ex legum dispositione.

§. 84.

Alit uxorem,

Leges exigunt, ut soluto matrimonio dos ad uxorem redeat: (a) redire autem non posset, si prorsus pessumderetur quoad substantiam, ut ne quidem æquivalenter remaneat. Consequenter onera matrimonii, quæ sustineri ex dote debent, (§. 82.) *sustinenda sunt ex fructibus dotis, salva ipsa substantia.*

(a) *Tot. tit. ff. & C. solut. matrim. quemadm. dos petat.*

§. 85.

Aut retenta dote,

Cùm maritus uxorem exhibere, & onera matrimonii ferre ex fructibus dotis debeat, (§. 84.) jus necessariò idem maritus habet non solum ad ipsam dotem, sed etiam ad fructus dotis. Unde *qui retinet dotem, non tantum tenetur ad hanc præstandam, sed etiam ad præstandos ejus fructus.*

§. 86.

Ex fructibus

Qui solutionem promissæ dotis, dato pignore frugifero, differt, pignus ipsum dare censetur in securitatem dotis, fructus autem pignoris, loco fructuum dotis, utpote ad quos præstandos tenetur. (§. 85.) Unde non opus est prævia conventionione de fructibus pignoris percipiendis. Tradi enim pignus censetur juxta dispositionem legum. (a)

(a) Vid. VALASCUS *Consultat. 8. n. 1.*

§. 87.

Pignoris:

Cùm maritus jus habeat ad fructus dotis, (§. 85.) *jure optimo percipiet fructus pignoris, qui jurrogantur fructibus dotis*

dotis nondum soluta: (§. 86.) modò ipse conditionem, sub qua dos & ejus fructus debentur, fideliter impleat, exhibendo scilicet uxorem, & sustinendo onera matrimonii.

§. 88.

Verum quidem est, quòd quando de dote numeranda fides sub pignore habetur, mutuuum virtuale intercedat, cum præsumatur per fictionem brevis manus dos marito soluta fuisse, & vicissim maritus dotem statim sub pignore mutuasse. Verum etiam est, quòd fructus pignoris, quin computentur in summam Capitalem, percipere ratione mutui non liceat. (§. 73.) Nihilominus *licebit percipere fructus pignoris in casu dotis promissæ, & non numeratæ.* Hoc enim casu maritus non tenetur alere uxorem propriis sumptibus, (a) nisi ille, qui dotem promisit, præstet fructus dotis. His autem surrogare censetur fructus rei oppignoratæ, (§. 86.) qui proin non ratione mutui, sed alio justo titulo, à Sacris Canonibus (b) approbato, percipiuntur.

Quos licite maritus exigit,

(a) C. 7. de Donat. int. vir. & uxor. l. ult. C. ad SC. Vellej.

(b) C. 16. de Usur. ibi. *Sanè generum ad fructus possessionum, quæ sibi à socero sunt pro numerata dote pignori obligata, computandos in sortem non credimus compellendum: cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda.*

§. 89.

De Justitia Tituli, quem habet maritus ad percipiendos fructus prædii pro dote oppignorati, dubitare non finit sanctitas Canonum: (§. 88.b.) variis tamen subtilitatibus ambiguum Interpretes reddunt. (a) Is præse loquendo, non in favore matrimonii, non in lucro cessante, aut damno emergente consistit; sed in eo, quòd maritus onus alendæ & exhibendæ uxoris suscipiat, solutione dotis promissæ non secuta nequaquam debitum, (§. 88.) sed illi potiùs imponendum, qui solutionem dotis retardat.

Quia sustinet onera matrimonii:

(a) Vid. FELICIANUS de SOLIS de Censib. lib. 2. c. 5.

§. 90.

§. 90.

*Et si hac
non ada-
quens fru-
ctus dota-
les :*

Pro onere in se suscepto alendæ uxoris, jure merito, maritus percipit fructus ex pignore dotali, licet isti fortè superent fructus ex ipsa dote percipiendos. Sicut enim fructus dotis, destinati pro ferendis matrimonii oneribus, licitè percipiuntur omnes, quamvis isti longè excedant ferenda onera: ita etiam fructus pignoris dotalis percipi possunt omnes, absque scrupulosa computatione fructuum, quos ferret ipsa dos soluta. Non apparet ratio restringendi decisionem Pontificis. (§. 88. b.) Non enim compensantur solæ expensæ ad alendam uxorem necessariæ, quarum quantitas determinari potest: sed consideratur totum onus alendæ uxoris & regendæ familiæ, quod non recipit æstimationem certam, utpote involvens plurimas molestias, curas, labores &c.

§. 91.

*De quo-
rum quan-
titate cer-
ta pacisci
licet.*

Incertos fructus pignoris dotalis potest maritus jure optimo percipere, quia sine his non tenetur subire onus alendi uxorem. (§. 89.) ergo ex eadem ratione potest maritus etiam pacisci de certa quantitate quot annis solvenda, dum sibi dos non numeratur. Quæ enim disparitas solida dari poterit? Laborant in hac invenienda multi Doctores, & adiguntur etiam admittere, nequaquam licitam esse perceptionem fructuum ex pignore dotali, si fructus hi sint certi. (a) Videtur ab istis Doctoribus vis inferri generali doctrinæ Pontificis. (§. 88. b.) Sive igitur certi, sive incerti redditus constituentur, sive ex pignore, sive absque pignore percipiendi, donec dos promissa numeretur; licitè illi percipiuntur, etiamsi non exactè respondeant expensis in alenda uxore factis.

(a) VALASCUS *Consult.* 8. n. 5.

§. 92.

§. 92.

Quamvis res, pro securitate dotis oppignorata, non sit dotalis, fructus tamen illius vocari solent *usurae dotales*, cum percipiuntur loco fructuum dotalium, ex re dotali provenientium. Concludimus igitur, fructus rei pro dote oppignoratae, seu *usuras dotales licite percipi*.

Unde licite sunt usurae dotales.

Plura de Usuris dotalibus videri possunt apud BALDUM *Novellum de Dote. part. 7 priv. 3.* GASPAR. RODERICUM *de ann. redit. l. 3. q. 7. à n. 41.* PETRUM BARBOSA *in l. 5. ff. solut. matrim. &c.* LEOTARDUM *de Usuris q. 28. 29. & 30.*

§. 93.

Justum titulum, vi cuius ex pignore dotali fructus exigere liceat, assignavimus: (§. 89.) major est difficultas, reperiendi æqualis bonitatis titulum pro jure percipiendi fructus ex pignore *Feudali*, quando scilicet vasallus domino directo, à quo mutuas pecunias accipit, in pignus tradit feudum, ab ipso hoc domino, vel ejus majoribus profectum. Hoc enim casu Summi Pontifices ALEXANDER III. (a) & INNOCENTIUS III. (b) fructus ex tali pignore concedunt domino directo, nequaquam in sortem computandos.

*Art. 3.
DE PIGNO.
RE FEUDA-
LI.*

Ex pignore feudali potest dominus

(a) *Discretioni vestra mandamus, quatenus si terram ipsam titulo pignoris detinetis, & de fructibus ejus sortem recepistis, prædictam terram Clerico memorato reddatis: nisi terra ipsa de feudo sit monasterii vestri. c. 8. de Usur.*

(b) *Insinuatione præsentium declaramus, quòd Gageria, quam de feudo Ecclesia tua ab M. dignostereis recepisse, à te potest liberè detineri, fructibus non computatis in sortem: ita videlicet, ut quamdiu fructus illos ceperis in sortem minimè computandos, idem M. à servitio, in quo tibi & Ecclesia tua pro feudo ipso tenetur, interim sit immunis. c. 1. de Feudis.*

§. 94.

Mirabilem hanc doctrinam esse censent aliqui Doctores. (a) Magis mirandæ sunt eorum conjecturæ, indagantium, Fructus percipere;

G

tium, qua demum ratione permoti sint Pontifices ad causam istam pro favore dominorum directorum decidendam. Multorum opinionibus adhærere non lubet.

(a) Cum LUDOVICO ROMANO *in singular.* 329. aliàs 325.

§. 95.

Non quidem ob favorem Ecclesie, I. Non placet doctrina Glossæ, (a) quòd permittatur in dicto casu, (§. 93.) aliquid recipi ultra sortem, favore Ecclesie. Nam certum est, nullo privilegio aut favore piæ causæ, usuram admitti posse. (b)

(a) *In c. 8. V. de Feudo. & de Usur.*

(b) *C. 4. eod.*

§. 96.

Aut consolidatio domini directi & utilis; II. Absque sufficiente juris colore alii causam assignant, quòd per concessionem feudi in pignus, dominium directum creditoris trahat ad se dominium utile, atque ita feudi dominus *jure domini* percipiat fructus, hoc ipso non restituendos, nec computandos in sortem. Fingitur planè hæc domini directi & utilis consolidatio, feudo in pignus concesso. Cessaret enim ratio pignoris, si creditor fieret plenus dominus; quia res sua nemini servit.

§. 97.

Nec in compensationem servitorum, III. Nec satisfacit sententia eorum, qui dicunt, perceptionem fructuum fieri *in compensationem remissi servitii*, cum vasallus, quamdiu feudum est oppignoratum domino directo, non teneatur isti ad servitia præstanda. Licet hæc liberatio à servitiis, uti Pontifex insinuat, (§. 93. b) sit omnino necessaria; non tamen videtur sufficere ad hoc, ut dominus directus fructus feudi oppignorati percipiat. Vix enim unquam tanti æstimantur servitia debita, quanti sunt fructus, quos feudum profert. Feudum est beneficium: tale non foret, si debita servitia æquipollerent fructibus. Ajunt,

Ajunt, non posse plures fructus à domino directo percipi, nisi qui æquivalent servitiis, à quibus interim vasallus eximitur. Hæc limitatio videtur esse contra mentem Pontificum, qui simpliciter concedunt fructus absque limitatione. Est etiam hæc limitatio in praxi impossibilis. Quis enim æstimabit servitia, quorum exhibendorum occasio per multos fortè annos non occurrit: & quæ non tantum in præstandis operis, sed etiam in fidelitate, subministrando consilio, & similibus consistunt, quæ æstimationem non capiunt. Hac ratione non solvissent, sed magis implicassent causam propositam Pontifices. Demum ex hac interpretatione inferri posset, ex arbitrio vasalli debitoris dependere, an servitia debita præstare, an verò loco illorum, fructus relinquere velit creditori domino directo. (a) Nam si ad unum pro voluntate domini obligaretur, fieret id ratione mutui: hujus autem intuitu obligatio nulla imponi potest.

(a) Similem libertatem debitori adstruximus supra (§. 15. Schol. & §. 64.)

§. 98.

IV. Nihil ponderis illi superaddunt, qui ajunt, vasallum obligari ad antidóra, eaque obligatione solvi, quamdiu feudum est oppignorum domino directo, qui proinde possit fructus percipere *in remunerationem illius obligationis antidoralis*. Quis obligationem antidoralem pretio compensandam dicet?

Aut obligationis antidoralis:

Ejusmodi interpretationes exponunt Jus Canonicum ludibrio eorum, qui erga Sacros Canones modica afficiuntur reverentia. Talis est CAROLUS MOLINÆUS, qui de auctoribus hujus explanationis ait: *Horum interpretationes sunt palliata excusationes in peccatis, & nihil aliud agunt, quam cauteriatis conscientis ex herbarum foliis texere perizomata, & non adhibere medicamen, sed velamen. In Consuetud. Paris. tit. 1. §. 1. gl. 9. n. 24.*

§ 99.

*Sed ob
ipsam na-
turam
feudi,*

Convenientior videtur esse explicatio eorum, qui sentiunt, hanc esse naturam feudi, ut eo penes dominum directum existente; vasallus immunis sit ab obsequiis præstandis, simul autem careat fructibus: & vicissim dominus jus habeat percipiendi utilitatem, licet dominium utile maneat penes vasallum. Incongruum enim videtur, ut redeunte re feudali ad dominum, ipse non ut dominus, sed ut extraneus quilibet rem administret, & fructuum rationem reddere suo vasallo teneatur. Perceptio igitur fructuum, quæ à Pontificibus adjudicatur creditori, non censetur esse compensatio remissorum servitiorum, sed *ab ipsa natura feudi*, consequenter ab utriusque tum vasalli, tum domini voluntate oritur, quæ se legum dispositioni conformare censetur. Talem esse naturam feudi Ecclesiastici, seu quod ab Ecclesia proficiscitur, dubitare non finunt allegatæ Constitutiones Pontificum, (§. 93. a. b.) quæ quidem non censentur jus novum condere, sed jus, quod erat, *declarare*. Hanc autem declarationem naturæ feudorum aptissimè congruere sentiunt communiter Doctores: unde eam ad feuda sæcularia passim & meritò extendendam statuunt.

Vid. JOANNES de IMOLA, GONZALEZ, *alique inc. 1. de Feud. Card. MANTICA de tacit. & ambig. Convent. lib. 11. tit. 8. Card. de LUGO de F. & F. disp. 25. n. 146. seqq. COVARRUV. variar. resolut. lib. 3. c. 1. CANISIUS de Usur. c. 6. n. 3. & 4. RODERICUS de annu. rediv. lib. 3. q. 7. n. 50. MOLINA de F. & F. tr. 2. disp. 323. MUDÆUS de Pignorib. tit. de pact. pignor. n. 54. LEOTARDUS de Usur. quest. 14.*

§. 100.

*Quæ limi-
tationes*

Natura feudi, quæ plurimum dependet à contrahentium voluntate, genuina causa est, quòd fructus feudi oppignorati

rati possint percipi à creditore domino directo. (§. 99.) ubi ^{quasdam} igitur hæc implicita contrahentium voluntas, vel juris ^{exigit.} dispositio prudenter non potest supponi, locum non invenit data doctrina. I. Tale est feudum non liberaliter concessum, sed pretio emptum à vasallo: II. Item feudum proprio vasalli labore aut impensis notabiliter melioratum; hæc enim melioramenta dictis Pontificum constitutionibus non subjacent. III. Locum etiam non habet hæc doctrina, ubi ex conjecturis apparet, hoc genus contractus in fraudem usurarum esse initum, & ab inope vasallo extortum foenerandi animo, quod ex modico pretio, ex gravi læsione, ex quantitate fructuum, & personarum circumstantiis iudex arbitrabitur. IV. Neque ad dominum directum rei emphyteuticæ trahi debet, quod de domino directo feudi dictum est. (a) Longè alia est natura Emphyteuseos, quàm feudi. In illa enim emphyteutæ plerumque ad modicam & certam pensionem obligantur; neque tam arctis vinculis alligantur erga dominum. Unde, quod de feudis constitutum legimus & ægrè salvamus; extendi ad diversos casus non debet.

(a) Contrarium docet NEGUSANTIUS de pignorib. part. 5. membr. ult. n. 14.

§. 101.

Insuper notandum, nequaquam ex iisdem, quæ hucusque recensuimus, principiis profluere doctrinam alteram Pontificis Alexandri III. (a) qui iussum suum de pignore cum fructibus restituendo limitat, nisi fortè Ecclesiæ beneficium fuerit, quod redimendum ei (Clerico Creditori) hoc modo ^{Explicatur alia Constitutio Pontificia.} de manu laici videatur. Intelligit hæc Pontifex non de feudo rite constituto, sed de bonis Ecclesiæ à laico injustè in feudum detentis. Hæc si pignori dentur Ecclesiæ, (b) poterit hæc retinere fructus absque ullo alio titulo, cum non alienum percipiat, quod in sortem imputare, aut restituere teneatur;

tur; sed potiùs suum ab alio injustè detentum, meliore quo potest modo vendicat. Idque verum est, etiamsi interim vasallus obsequia præstet; quia fructus Ecclesiæ percipit ut proprios, non ut alienos. Eadem autem ratio est etiam de bonis laicorum ab alio injustè possessis, ex quibus fortè in pignus datis jure optimo dominus fructus percipit.

(a) *C. 1. in fin. de Usur.*

(b) Quando textus loquitur de Clerico, intelligit haud dubiè Pontifex eum Clericum, qui alios etiam redditus Ecclesiæ colligit. Non enim quisvis Clericus, cui talia bona oppignorata sunt, percipere potest fructus suo proprio nomine, sed nomine Ecclesiæ, cui applicari debent.

Art. 4.
DE OPPI-
GNORA-
TIONIBUS
GERMA-
NÆ.

Circa oppi-
gnoratio-
nes,

Usitas
in Germa-
nia,

§. 102.

Mentionem hoc loco exigunt oppignorationes in Germania à pluribus jam sæculis usitatae. Casum ponamus frequentissimè occurrentem. Nobilis nummis abundans Principi subministrat magnam pecuniæ summam, & quidem irrevocabiler ex parte creditoris, ita ut creditor non possit repetere summam capitalem, nisi debitor Princeps sponte eam velit reddere. A Principe autem debitore vicissim creditor oppidum cum omnibus juribus, fructibus, & emolumentis in pignus accipit, eo pacto, ut creditor pignore hoc, quin fructus in sortem imputet, utatur fruatur tamdiu, donec ab oppignorante debitore pecunia reddatur. Licitusne hic sit contractus, an verò usurarius, quæstio est non levis momenti.

§. 103.

Oppignorationes istæ invaluere in Germania tempore eorum Imperatorum, qui vel ob impensas bellicas, vel ob alias privatas rationes, Imperii Jura, Regalia, Ditiones &c. pro præsentis pecunia oppignorarunt Principibus, Imperialibus urbibus, aut aliis Germaniæ Statibus. (a) Hi exinde potentia aucti, ex una parte, propriæ utilitatis studiosi, nihil
magis

magis quàm reuisionem timebant: ex altera bono communi intenti, facilitatem Imperatorum circa ejusmodi oppignorationes cohibebant.

- (a) Carolus IV. ad promovendam electionem Wenceslai filii sui in Regem Romanorum, centum millia florenorum cuilibet Electorum pro electione promisit, quæ cum solvere nequiret, Electoribus pignoris loco vectigalia, oppida, & telonea Imperii concessit. ÆNEAS SYLVIUS (PIUS II.) *Hist. Bohem.* c. 33. NAUCLERUS *Chron. vol. 2. generat. 46. fol. 1018.* CUSPINIANUS *de Cesarib. in vita Caroli IV. f. 480.* STRUVIUS *Corp. Hist. Germ. period. 9. §. 30.*

§. 104.

Propriæ utilitati consulebant Status Imperii, eò rem perducendo, ut ipsi Imperatores à Carolo V. usque ad hodiernum, noviter electi promitterent, se Bona Imperii Statibus oppignorata non revocatu-^{Statu Imperii consulunt propriæ utilitati,}ros. Imò etiam per Instrumentum Pacis Westphalicæ, eadem Creditorum securitas contra reuisionem firmata fuit, donec consensu Electorum, Principum & Statuum aliter sancitum fuerit. (a) Unde ibidem conventum, ut civitati Lindaviensi, nec non Weisenburgensi in Noricis, reddita sorte, oppignorationes Imperiales ipsis ademptæ, illico & plenariè restituerentur. (b) Quæ verò bona non Imperatores, sed Status Imperii sibi invicem pignoris jure ante hominis memoriam obligaverant, in iis reuisioni per ejusdem Pacis articulos, (c) aliter locus non erat concessus, nisi possessorum exceptiones, & merita causarum sufficienter examinarentur.

- (a) *Instrum. Pac. Casareo-Suec. art. 5. §. 26. & ibidem BUCKISCH Obsèrv. 54. seqq. Auctor Meditation. specim. 3.*
 (b) Quænam fuerint his urbibus oppignorata, videri potest apud KNIPSCHILD *de Civit. Imper. l. 3. c. 31. n. 39. & c. 57. n. 9. seqq.*
 (c) *Art. 5. §. 27.*

§. 105.

§. 105.

*Et bono
communi.*

Communi bono satis consultum credunt Principes Germaniæ, exigendo à recens electis Imperatoribus juramentum, de Bonis & Juribus Imperii in posterum, sine prævio consensu Statuum, non oppignorandis. (a)

(a) Postquam Carolus IV. Imp. sedecim Sueviæ urbes, sine medio recognoscentes Imperium, vicinis Principibus oppignorasset; aliæ quatuordecim in Comitibus Francofurtensibus anni 1376. conspirarunt invicem, foedere mutuo se constringentes, ut non se patiantur in morem pecudum venales exponi. KRANTZIUS *Saxon. lib. 10. c. 3.* Non minore studio eadem civitates sequentibus sæculis retinere conatæ sunt bona sibi oppignorata.

§. 106.

Hinc contractus,

Quamvis fortè timendum non sit, ut moderni Imperatores Bona Imperii novis oppignorationibus alienent: fieri tamen ejusmodi oppignorationes passim videmus inter alios Principes Germaniæ.

§. 107.

Cum consuetis conditionibus initus,

Huic contractui solent, vel expressè adjici, vel ex consuetudine patriæ tacitè inesse sequentes conditiones. I. Pecunia datur irrevocabiliter, ita ut creditor non possit repetere sortem, donec debitor Princeps repetat oppignorata bona. II. Princeps pignori dat creditori suum e. g. castrum, cum jure percipiendi omnes fructus. III. Princeps debitor tenetur admittere, ut omnia consueta, etiam militaria remedia ad exigendos redditus adhibeat creditori. IV. Si aliquando Princeps velit restituere sortem, non tenetur creditor in eam computare fructus perceptos. V. In casu autem, quo Princeps reddere sortem velit, tenetur creditor absque mora castrum restituere. VI. Creditor interim dum tenet oppignoratum castrum, suis impensis

con-

conservat facta tecta, ac in eo statu, ut consuetis usibus sit aptatum: apertumque illud tenet Principi, si eum illuc venire contingat. Tenetur insuper illo non uti adversus Principem. VII. Sicut Fructus, ita & periculum castri erit penes creditorem, ita ut Princeps debitor non teneatur aliud pignus substituere, si illud primum casu fortuito pereat: consequenter perdet etiam creditor tali casu spem recuperandi summam capitalem, quam petere non potest; debitor autem reddere non tenetur, nisi restituto pignore.

§. 108.

De his oppignorationibus varia tradunt Doctores Germaniæ. Extranei ægrè non ferent, si eorum generales doctrinas non multum moremur circa contractus, ex consuetudine patriæ singularibus circumstantiis vestitos. Parum quidem me movent Legum Civilium Interpretes, præsertim A catholici, qui à veris usuris plerumque non abhorrent. Maximæ autem authoritatis meritò sunt duo Germaniæ Theologi, in materia usurarum planè non molles, scilicet CONRADUS SUMMENHART, & PETRUS BINSFELDIUS. Horum uterque, perpensis maturè omnibus, explicatas oppignorationes ab omni usurarum labe immunes pronuntiat, (a) aliòsque passim Doctores post se trahit. (b)

Defenditur tanquam licitus.

(a) CONRADUS de Contract. q. 33.
BINSFELD in c. 1. de usur. q. 2.

(b) FRIDER. MARTINI de Jure Censuum, c. 1. n. 158.

§. 109.

Si in memoratis oppignorationibus verus contractus mutuationis subesset, usura haud dubiè committeretur, & antichresis illicita. (§. 71.) Mutuum autem celebrari, planè negabimus, si memoratas condiciones perpendamus. Ad

Non enim est mutuum:

H sub.

substantiam Mutui requiritur obligatio restituendi rem in genere, (*Diss. I. §. 45.*) quæ obligatio infert jus repetendi in creditore: in præfenti autem contractu creditor repetere summam capitalem non potest: (§. 107. I.) & debitor satisfacit, relinquendo reditus castri oppignorati, nec tenetur sortem restituere, si castrum perierit: (*ibid. VII.*) consequenter *non contrahitur mutuum*, licet nomen mutuationis usurpetur. Ex hoc enim quod contrahentes nominent suum contractum certo nomine, inferri non potest, quod ille contractus sit celebratus. (a) Ostendunt etiam memoratæ Constitutiones Imperii, (§. 104.) quod contractus isti nequaquam habeantur pro mutuo. Quis enim credat, sanctionem à Principibus factam esse, ne restituatur mutuum.

(a) Variis exemplis ex S. Scriptura, legibus & communi usu loquendi petitis id ostendit CONRADUS *q. 33.* Obtinet hoc præcipue inter Germanos, qui eadem voce, qua *mutuum* significant, varios alios contractus denotare solent.

§. II.

Nec emptio rei oppignorata: Neque emitur aut venditur ipsum castrum oppignoratum; cum plerumque pretii quantitas non sit proportionata æstimationi ipsius castri. Aliàs etiam in dubio, quod minimum est, sequimur: venditio autem castri esset nimis gravis, & onerosa, consequenter non præsumenda.

In Casibus, quos ZASIUS *lib. 1. Conf. 12.* & WESENBECIUS *Conf. 2.* examinat, ac pro venditione ipsius castri agnoscit, longè aliæ occurrunt circumstantiæ.

§. III.

Sed emptio census, Est igitur *Emptio Censuum* annui ex castro cum pacto redimendi. Nam pecunia credita habet rationem pretii, & jus percipiendi fructus habet rationem mercis.

Tali modo casum sibi propositum decidit FACHINEUS *lib. 1. Conf. 16.* ubi adjectus erat contractus venditionis ipsius castri cum pacto

pacto revendendi; non quidem valiturus mox ab initio, sed in casum, quo annuus census à debitoribus convento tempore non redimeretur. Hoc pactum omnino singulare est, communiter nec adjici, nec subintelligi solitum.

§. 112.

Emptioni censûs adjicitur *contractus Pignoris*, tum pro ipsius census annui solutione, tum etiam pro sortis principali securitate, & cautione. Quamvis enim adjecta pacta (§. 107. VI. VII.) sint præter naturam pignoris, non tamen videntur evertere ejus substantiam.

§. 113.

Si hunc contractum pignoris ob adjectum jus percipiendi fructus, placeat *antichresin* nominare, non movebo litem de voce. Addam tamen, duplex esse genus Antichreseos: unum quod adjicitur mutuo, alterum quod conjungitur cum emptione. Illud prius est usurarium, (§. 70.) non item hoc alterum. Nam in isto non percipiuntur fructus pignoris ratione mutui: Sed fructus mercis emptæ, seu juris ad percipiendos redditus; quod jus fuit merx, & aliquid distinctum à castro.

§. 114.

Si displiceant complicati contractus, plurium pactorum species sub una conventionem referentes; absque inconvenientia dici poterit *Contractus innominatus do ut des*, cujus licentia examinanda est non ad normam legum Romanarum, sed ad regulas Justitiæ & charitatis, attendendo simul ad leges Germaniæ.

De hac re dabitur fusior explicatio sequenti cap. 2.

§. 115.

Cùm memoratus contractus, quem simpliciter oppignorationem Germani vocant, accedat ad emptionem

H 2

Cen-

Si equalitas mercis & pretii,

Census annui, id ad justitiam hujus contractus observandum est, quod in Germania de emptione census constituitur, ut scilicet pretio centum aureorum, non nisi quinque aureorum census ematur. (a) Hæc proportio mercis & pretii, si notabiliter excedatur, excessus iste contra leges & injustè obtinebitur.

(a) In aliquibus provinciis emuntur sex pro centum. Dein, quod de antichresi monitum, (§. 73. Schol.) non potest accuratè proportio hæc servari, si fructus sint incerti, & periculis subjecti.

§. 116.

Ac conditio personarum observetur:

Ad æquitatem hujus contractus, oportet etiam observari conditionem contrahentium. Justinianus (a) prudentissimè prohibuit, fundos ab agricolis in antichresin accipere, cum tota vitæ & familiæ sustentatio apud agricolas consistat in agricultura. Eadem ratio est de Nobili pau-pere, qui se & familiam ex modico prædio sustentat. Boni publici ratio vetat, ne cum ejusmodi hominibus memoratus contractus oppignorationis celebretur.

(a) *Novell. 32. 33. 34.*

§. 117.

Licite sunt hæc oppignorationes.

Concludimus ultimò, *Jus pignoris*, quod habet creditor in re pro mutuo oppignorata, non præbere justum titulum aliquid percipiendi ultra sortem, nisi alius fortè titulus per accidens jungatur, vel alius à mutuo separatus contractus celebretur. Alius titulus occurrit in *Pignore Dotali & Feudali*: alius contractus celebratur per *oppignorationes in Germania usitatas*. Ex his igitur pignoribus licitè aliquid retinetur ultra summam capitalem.

SE-

SECTIO V.

De Statuto Principis.

§. 118.

CUM aliis honestis Viris hucusque egimus. Jam in De Statu-
 theatrum prodire gestit P. Daniel Concina, in sacrum ro Princi-
 furorem actus ex quorundam doctrina, qui pro justo titulo pis appro-
 aliquid in mutuo ultra sortem exigendi, assignant Statutum bante usis.
 Principis, seu Consuetudinem. Operæ pretium est, ut ma- ras,
 teriam istam accuratiùs excutiamus.

§. 119.

Id potissimùm contra hanc opinionem pugnat, quòd Ordo di-
 usura Jure naturali & Divino sit prohibita, consequenter cendorum.
 licita fieri non possit per Statutum humanum. Ut igitur
 dilucidè de hoc argumento loquamur, præmittenda sunt
 quædam de Lege Naturali. De Divina enim non opus est,
 ut quidpiam ultra addamus; cum hæc ipsa Lex Divina,
 prohibens usuras, fundetur in difformitate usuræ cum Lege
 Naturali; aliàs non obligarent nos Leges Veteris Testa-
 menti usuram prohibentes. Rem omnem distinctis quin-
 que Articulis conficiemus. I. Præmittetur notitia de Jure
 Naturali. II. Ponetur opinio, quæ dicit, posse aliquid ex
 Statuto Principis accipi ultra sortem. III. Recensentur
 argumenta P. Concinae contra hanc opinionem. IV. Re-
 spondebitur ad hæc argumenta. V. Demum statuatur
 propria sententia.

§. 120.

Per *Legem Naturalem* intelligitur, ordinatio Divinæ
 voluntatis, per rectam rationem promulgata, circa actio-
 nes & omissiones (a) creaturarum rationalium, ad rectam
 con-

Artic. I.
 NOTITIA
 DE JURE
 NATURALI
 Lex Natu-
 ralis

constitutionem & felicitatem humanæ Reipublicæ, Divinis Perfectionibus conformem, necessaria. (b)

- (a) Ad *actiones* refertur Lex naturalis *affirmativa*, quæ bona præcipit: ad *omissiones* Lex naturalis *negativa*, quæ mala prohibet.
- (b) Lex *permittens*, ac Jus *concessivum*, abusivè tantùm, & improprie ad Legem naturalem reducitur. Illius enim objectum respectu Juris Naturæ, est actus indifferens, nec positivè præceptus, nec positivè prohibitus, qualis est communio aut divisio rerum, libertas, aut servitus hominis. Faciunt tamen aliqui hoc discrimen inter hos ipsos actus indifferentes, quòd natura ad aliquos positivè inclinet, & tunc dicunt Jus *concessivum*: ad alios negativè se habeat, non repugnando, & tunc dicunt Jus *permissivum*. Sic libertas hominis *conceditur*, servitus *permittitur* à natura.

§. 121.

Verfatur circa principia Morum, Lex naturalis verfatur circa principia Morum prima, ac nota per se, tum *generalia*, e. g. quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: fac bonum: declina à malo: tum *particularia*, e. g. DEUS est colendus: Justitia est servanda.

§. 122.

Et conclusiones inde deductas: Verfatur etiam Lex naturalis circa conclusiones ex primis principiis evidenter deductas. Talia sunt omnia præcepta moralia, quæ fundant honestatem moribus necessariam; sive dein proximè & facilius, sive per plures rationis discursus eruantur, in quorum numero etiam est prohibitio usurarum.

§. 123.

Est immutabilis: Lex naturalis absolutè est *immutabilis*, ac *indispensabilis*, eo ipso quòd sit lata pro recta constitutione Reipublicæ humanæ juxta normam Divinarum Perfectionum. Sicut igitur ipsæ Perfectiones Divinæ, ad quas manifestandas & commendandas omnis natura rationalis ordinatur, sunt immutabiles, & semper eadem; ita etiam Leges dirigente Divi-

Divina Sapiencia & Providentia ad normam æternæ Veracitatis, Justitiæ, Bonitatis &c. latæ, nunquam mutationem subire possunt; cùm aliàs deficere videretur Sapiencia & Providentia DEI, creaturam rationalem à fine suo ultimo, etiam naturali, avertens, vel per media inepta dirigens. Sive igitur consideremus officia hominis *erga DEUM*, ut rectè de eodem sentiat, eúmque debito modo colat: sive *erga proximum*, ut neminem lædat, jus suum cuique tribuat: sive *erga seipsum*, ut tam corpus, quàm animam excolat, séque ipsum defendat: hæc omnia dirigi oportet immotis principiis. His enim mutatis turbaretur recta creaturæ rationalis constitutio, quæ non esset ordinata ad manifestandas DEI Perfectiones; qui tamen finis ultimus necessariò intenditur à Creatoris, & Conservatoris summa Sapiencia & Providentia.

§. 124.

Aliæ Leges positivæ possunt deficere, vel *ab intrinseco*, *Secus ac* per se ipsas, quando ex utilibus fiunt noxiæ: vel *ab extrinseco*, *alia leges.* per superiorem potestatem. Utraque harum mutationum contingit, vel *universaliter* in tota lege, eam abrogando: vel in casu *particulari*, in ea dispensando. Nullo ex his modis posse mutationem subire legem naturalem, fusè ostendunt alii, qui dedita opera has tractant materias. (a)

(a) SUAREZ *de Legib. lib. 2. c. 13. seq.*

§. 125.

Ex legibus naturalibus in se planè immobilibus, ver- *Licet ejus* santur aliquæ circa materiam, quæ in tota sua latitudine *materia* duas, ut ita dicam, species complectitur, malam aliam, bonam aliam. Sic homicidium aliquod est injustum, aliud est justum. Homicidium justum, e. g. quod fit vel auctoritate publica, vel ad defensionem vitæ propriæ, nequaquam substat legi naturali, quæ prohibet, ne occidas.

Sub-

Substat autem illi homicidium injustum privata autoritate extra casum necessariae defensionis perpetratum.

§. 126.

*Sit valde
diversa,*

Econtra in aliis legum naturalium objectis non invenitur duplex talis species, ut in blasphemia, mendacio, simonia; nam omnis omnino blasphemia, mendacium & simonia repugnat infinitis Perfectionibus Divinis, & rectae constitutioni Reipublicae humanae: igitur omnis blasphemia, omne mendacium, omnis simonia creaturae rationalis, est objectum legis naturalis prohibentis: consequenter nulla unquam blasphemia, mendacium aut simonia, potest fieri licita absque mutatione legis naturalis. Homicidium autem potest esse licitum, quin mutetur lex naturalis, quia homicidium ad propriae vitae defensionem factum, nunquam erat objectum legis naturalis.

§. 127.

*Verbis tamen
inde-
finitis pro-
ferri solet.*

Hæc legum naturalium diversitas (§. 125. 126.) ex eo præcipuè adstrui debet, quia leges naturales verbis generalibus vel indefinitis solent à nobis ore proferri, quibus tamen non semper dictantur & promulgantur in mente. e.g. Lex de non occidendo, non ita simpliciter & absolute in mente judicatur, sed cum limitatione & circumspectione; dictat enim ratio, occisionem posse fieri publica autoritate, ad necessariam defensionem sui aut Reipublicae, vel jussu DEI, qui habet dominium supremum vitae & mortis. Communiter autem solet illa lex his tantum præcisus verbis proferri, non occides, quia cætera subintelliguntur, nec in forma legis humano modo positæ omnia declarari possunt. Econtra lex de non blasphemando æquè generaliter & indefinitè menti & rationi objicitur, prout generalibus & indefinitis verbis solet scribi, aut ore proferri.

§. 128.

§. 128.

Leges naturales, quarum objectum suo modo duplicem speciem complectitur, (§. 125.) versantur circa actus I. Supponentes liberum exercitium voluntatis, quæ alterius cujusdam dominativæ potestati est subdita: vel II. Attingentes materiam in alterius jure positam.

*Aliquam
versatur
circa
actus*

§. 129.

Actus supponentes exercitium voluntatis alteri subjectæ, sunt Votum, Juramentum, Contractus filii impuberis &c. Horum obligatio est Juris naturalis: nihilominus irritari possunt à Patre. (a) Quia e. g. votum impuberis supponit exercitium voluntatis, quam pater sibi habet subjectam. Cùm enim filii impuberes regere præ ætate, & defectu maturi judicii seipfos non possint, leges ipsorum voluntatem subjiciunt potestati patriæ. Similiter Religiosus ad plenam sui abdicationem per votum obedientiæ voluntatem suam submittit voluntati Prælati sui. Consequenter filius impubes aut Religiosus in ejusmodi promissis, contractibus &c. non potest aliquid efficaciter ac validè velle, si contradicat Pater vel Prælati. Supposito igitur hoc dissentio Patris vel Prælati, non obligat contractus, votum &c. Ex quo tamen non mutatur Jus naturale, quia istud nunquam exigit obligationem voti, quod edit filius impubes vel Religiosus, dissentiente Patre, aut Prælato.

*Supponen-
tes exerci-
tium vo-
luntatis
alteri sub-
jecta:*

(a) Numer. XXX. 4. C. 1. 2. XX. q. 2. C. 14. 15. XXXII. q. 2.

§. 130.

Actus attingentes materiam in alterius jure positam, sunt iidem Contractus, Vota, Juramenta &c. ab iis posita, qui liberam quidem & expeditam, nec à quoquam dependentem habent volendi facultatem: sed tamen

*Alia circa
materiam
in alterius
jure posi-
tam.*

I

ma-

materiam sui Contractus, sui Voti aut promissi, non habent in plena sua potestate. Sic si filius jam in pubertate, sed tamen in potestate patria constitutus, vovet longam peregrinationem, largam eleemosynam ex re familiari, multa jejunia, quæ vires ad consuetos labores diminuerent &c. quamvis pater, hujus filii puberis voluntatem sibi non habeat subjectam, uti de impubere diximus; nihilominus quamdiu talis filius est in domo & potestate patris, illæ ejusdem filii actiones subsunt patris imperio, quæ rem familiarem attingunt, ne impediatur regimen liberum & expeditum familiæ, ne filius nimium subtrahatur ab obedientia & cura patris. Sic etiam si parochus voveat peregrinationem, & facultatem ab Episcopo petat, iste autem neget; votum non obligabit. Si subditus extero vendat frumentum, Princeps extractionem frumenti extra Provinciam prohibeat, cessabit obligatio contractus, quæ tamen absque prohibitione Principis esset Juris naturalis. Idem contingit, si materiam aliæ circumstantiæ reddant illicitam, aut immutent. Sic gladium Petri apud me depositum non possum reddere, si Petrus in vindictam de inimico sumendam pronus eum repetat: nam obligatio voti, juramenti, depositi non aliter datur, quàm si pater consenserit, vel saltem non repugnaverit juxta exigentiam materiæ; si aliunde materia non sit prohibita &c.

§. 131.

*Idem de
Præceptis
negativis.*

Quod dictum est de Præceptis Juris naturalis affirmativis, quibus aliquid præcipitur, (§. 130.) idem intelligendum est de Præceptis negativis, quibus aliquid prohibetur, uti jam supra insinuatum. (§. 125.) Multæ enim materiæ ex aliena voluntate ita immutantur, ut non constituent objectum legis naturalis prohibentis. Rem alterius sibi sumere, vel bona fide acquisitam post cognitum dominum retinere, prohibet lex naturalis: non tamen id probibet
pro

pro iis circumstantiis, quando illud fit ex consensu domini, vel alterius, qui plenam habet de re illa disponendi facultatem. Sic spolia Ægypti concessit Hebræis DEUS: Spolia hostium concedit militibus victor in bello justo Dux: rei alienæ dominium in bonæ fidei possessorem transferunt leges præscriptionis. Sic non obstante, nec mutato Præcepto naturali *non occides*, licitè Abraham immolare voluit filium suum; licitè quis interimit invasorem pro necessaria sui defensione: licitè Judex latronem ad mortem condemnat: licitè carnifex condemnati caput amputat: supposita belli justitia licitè hostium acies sternitur. Scilicet præceptum legis naturalis non comprehendit, neque prohibet occisionem justam, retentionem seu ablationem rei ex consensu illius, qui potestatem habet de ea disponendi. Hæc satis plana & obvia sunt.

§. 132.

Major est difficultas in explicanda dispensatione circa ea, quæ Jure naturali aut Divino sunt præcepta, uti est dispensatio in Voto, in Juramento &c. Cum enim dispensatio supponat obligationem legis, & ab ea liberet, hinc regulariter ad dispensationem requiritur potestas vel æqualis, vel major illa, qua lex fuit posita. Inferior enim non dispensat in lege superioris. Non igitur caret difficultate, ut ostendatur, qua ratione dispensetur in Voto & Juramento, quin dicatur dispensari in lege naturali & Divina. (a) Locus hic non est enodandæ hujus difficultatis. Tanquam certum supponimus, in Ecclesia dari potestatem dispensandi in Votis & Juramentis: & hoc supposuisse, ad præsens argumentum sufficit.

(a) MELCHIOR CANUS in *Relict. de Pœnit. Sacram. part. 6. prope fin.* vias ab aliis inventas minimè probans, se facilè expedit, permittendo, Prælatos Ecclesiæ dispensare posse in lege naturali & Divina, quando id non ad destructionem, sed ad ædificationem Ecclesiæ requiritur.

§. 133.

Juris naturalis absoluti & conditionati nomina.

Ex dictis eruitur sensus quorundam Authorum, qui Jus naturæ dividunt in Absolutum & conditionatum. *Absolutum* dicunt, quod absque ulla suppositione immediatè obligat, habetque objectum intrinsecè & semper bonum, vel vicissim ita intrinsecè malum, ut pro omnibus casibus & circumstantiis necessariò sit prohibitum. Exemplum talis Juris absoluti *affirmativi* est, colere DEUM; *negativi*, non mentiri. *Conditionatum* vocant, quod obligat sub aliqua suppositione, seu conditione ab aliis auferibili. Sic rerum proprietas est Juris naturalis, supposita divisione: pacta obligant mediante consensu, quem tamen dissolvere possunt ipsi contrahentes mutuo dissensu: votum, juramentum obstringit, nisi pater in filio impubere, vel alius superior, qui potestatem in voluntatem voventis habet, obligationem tollat: non licet occidere, nisi DEUS, supremus vitæ & necis Dominus id concedat; nisi autoritas publica, vel necessaria defensio id exigat: non licet aliena rapere, nec retinere, nisi DEUS bonorum omnium Dominus, aut extrema necessitas det facultatem aliena occupandi, aut nisi lex ope præscriptionis transferat dominium. Nam, ajunt, per ejusmodi concessionem materia à lege naturali, seu mente Legislatoris Divini eximitur, ut materia non ultra sit sub prohibitionem vel Præcepto legis; quam mutationem merè extrinsecam & materialem vocant.

§. 134.

Sunt innoxia:

Qui hac ratione loquuntur, nihil sentire, aut asserere videntur veræ doctrinæ contrarium: verbis tamen utuntur, vel ex quorundam imperitia ad falsas Ideas formandas, vel ex aliorum malitia ad invidiam creandam aptissimis. Cùm enim per actus conditionatos intelligere soleamus eos, quorum obligatio interim est suspensa, donec evenerit aliqua

qua conditio; hinc imperitus quispiam facilè in errorem posset trahi, ut sibi persuadeat, ejusdem indolis etiam esse leges quasdam naturales; vel malevolus quispiam occasionem inde posset sumere, dicta horum Authorum in pravam sensum detorquendi.

§. 135.

Missis igitur hisce phrasibus, firmiter tenendum, legem naturalem esse omnino immutabilem, ac indispensabilem; nec in dictis casibus ullam contingere mutationem circa objectum legis naturalis. Nam transgressio pacti, vel voti irritati, aut per dispensationem sublata: occisio ex imperio DEI: ablatio rerum consentiente Supremo Domino, vel cogente extrema necessitate: retentio rei præscriptæ &c. hæc & similia nunquam fuerunt objectum legis naturalis, nunquam fuerunt comprehensa sub ea lege; unde non opus est dicere, ea eximi à lege, ea conditionatè esse prohibita &c.

Consultius tamen est,

§. 136.

Mihi persuasum est, ejusmodi Auctores, qui Juris naturalis absoluti & conditionati mentionem faciunt, non alia ratione ad has improprias locutiones delapsos esse, quàm ex studio clariùs, & ad captum discipulorum suorum explanandi obligationem Juris naturalis circa diversas materias. Unde qui innoxiiis verbis bono zelo adhibitis, depravatum vellet sensum affingere, & ludendo in verbis, gravissimos errores illis impingere; virum hunc oportet esse, qui finistros animi affectus specioso severioris Theologiæ pallio conatur obtegere. A quo tamen nemo cordatus aut prudens rerum æstimator sibi fucum fieri patietur.

*Ut omit-
tatur.*

§. 137.

Præmissa Juris naturalis notitia, accedimus ad examinandum Titulum, quem pro exigendo auctario supra sortem,

*Art. 2.
OPINIO P.
FICHLER,*

tem, in Statuto Principis, vel Consuetudine reponunt aliqui, & cum iis P. Vitus Pichler, (a) asserens, *usuram lucrativam minus strictè sumptam, & Jure naturali & Divino prohibitam, probabiliter non esse ita absolute prohibitam, ut à Magistratu humano per statutum, in quibusdam circumstantiis & ex causa publica permitti non possit tanquam licita; modò sit moderata, & aliunde non repugnet charitati erga proximum à Jure naturali ac Divino præceptæ.*

(a) *Ad lib. V. Decretal. tit. 19. n. 8.*

§. 138.

Explicatur.

Hic præcipuè lapis est, quo offensus fuit Zelus Concinianus. Ne tamen insigni Viro, P. Pichler, falsò aliquid imputetur, bene advertendum est, juxta hunc Authorem non fieri licitum lucrum immediatè ex mutuo percipiendum, quæ esset usura strictè sumpta, (*Diss. I. §. 67.*) sed percipi posse lucrum occasione mutui ex Statuto Magistratus humani: fere sicut usura compensatoria, (*ib. §. 75.*) quæ accipitur ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, non est propriè & in rigore usura, eo quòd non immediatè ex mutuo, sed ex alio titulo justo, qualem Pater Pichler Statutum quoque Principis esse censet, auctarium petatur.

§. 139.

Potest Princeps

Duo igitur possunt moveri dubia, *primum*, an Princeps ex causa publica, & in quibusdam circumstantiis possit alicui concedere jus ad moderatas quasdam præstationes à subdito suo exigendas? *Secundum*, an Princeps id possit ex occasione Mutui? Quæ autem de *Statuto Principis* dicuntur, intelligi etiam debent de *Consuetudine*, quæ potissimam suam vim derivat à consensu Principis.

§. 140.

Fas concedere ad exigendam

De primo dubio (§. 139.) si seria moveatur quæstio, indignabitur fortè, quisquis competentem de potestate Prin-

Principum Ideam menti impressam tenet. Nam, consentientibus omnibus Theologis, potest Princeps *ex causa publica* & in quibusdam circumstantiis tributum à subditis exigere, sibi præstandum: cur non possit similiter *ex causa publica* & in quibusdam circumstantiis jus alicui concedere ad moderatam præstationem à subdito Principis exigendam? Autoritate Magistratûs Ecclesiastici concedi alicui jus exigendi pensionem annuam à Beneficiato quopiam, videmus quotidie. Si ex causa sæpe privata, scilicet pro sustentatione pauperis Clerici, onus solvendæ pensionis imponere potest Magistratus Ecclesiasticus: cur Princeps Laicus non possit *ex causa publica* & in quibusdam circumstantiis adstringere subditum, ad moderatam præstationem alteri solvendam? Igitur Statutum Principis potest esse legitimus titulus exigendi moderatam aliquam præstationem.

§. 141.

Secundum dubium (§. 139.) facile decidi posse, credent multi. Nam Statutum Principis, æquè ac damnum emergens aut lucrum cessans, est extrinsecum mutuo, & illi nequaquam innatum. Parùm igitur interesse videtur, sive occasione mutui, sive alia occasione jus ad præstationes aliquas concedatur à Principe, sicut parùm interest, an damnum emergat occasione mutui, seu occasione alterius contractus. (§. 4.) Ratio enim ultimata talis Statuti non esset *mutuatio*, sed causa illa publica exigens, ut mutuanti aliquid præstetur. Argumentum formari posset hoc modo: Statutum Principis est legitimus titulus exigendi moderatam aliquam præstationem: (§. 140.) ergo etiam est justus titulus exigendi eam occasione mutui. Non enim apparet, cur Mutuum excludat Legem Principis, quæ in aliis negotiis effectum obligandi habet. Nam præstatio ista exigetur non ratione mutui, sed ratione statuti ex causa publica facti.

§. 142.

§. 142.

*Exhiben-
tur argu-
menta P.
Pichler,
petita ex
dominio
alto,*

Animus non est firmandi hanc opinionem (§. 137.) nostris argumentis. Exhibeamus potius rationes, quas Patroni ejusdem afferunt.

I. Penes Rempublicam datur dominium altum rerum & bonorum ad privatos pertinentium, ita ut ex causa publicum bonum concernente, de iis possit disponere Magistratus, prout bono communi utile vel necessarium est: ergo si adest causa publica, idque bono communi vel utile, vel necessarium judicatur, etiam potest disponere, ut ex mutuo datis rebus lucrum aliquod moderatum obveniat mutuanti.

*Ex quo ob
bonum pu-
blicum,*

II. DEUS rectè permittit Judæis usuras exigere ab alienigenis, quia habet supremum dominium in omnes res hominum; sicque patet, quòd Jure naturali absoluto non sint prohibita usurae: ergo etiam Magistratus humanus rectè permittit usuras moderatas propter bonum publicum, quia à DEO habet dominium altum, licet restrictum ad existentiam causae publicae, in omnes res privatorum hominum.

*Potest
Princeps*

III. Ab illo, volente & consentiente, possum accipere usuras, cui etiam invito possum licitè res suas eripere: (a) atqui Magistratus, exigente communi utilitate, potest concedere, ut à subdito etiam invito rem aliquam violenter auferam: (b) ergo potuit etiam statuere, ut à volente & consentiente accipiam usuras, quae tamen non amplius erunt usurae strictè dictae, eo ipso quòd ex justo titulo accipiantur.

*Transfer-
re domi-
nia:*

IV. Potest aliquis accipere liberaliter donatum occasione mutui: ergo etiam potest accipere id, quod sibi Princeps ex causa publica tribuit occasione mutui. Nam Princeps tantum haud dubiè potest ex causa publica, quantum privatus ex causa liberalitatis.

*Sicuti fit
per leges*

V. Quanquam jus naturale in thesi vetet, aliquem rei alienae fieri dominum per illius possessionem; tamen Magistra-

stratus humanus per legem Præscriptionis dominium rei alienæ transfert in possessorem, ob dominium altum reipublicæ: adeoque jus naturale fuit solum conditionatum: ergo idem dici potest de usuris.

*Præscrip-
tionis,*

VI. Sacri Canones simoniæ per legem naturalem prohibita damnant eum, qui pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium pecuniam exigit: (c) & tamen piæ consuetudines super his præcipiunt observari, adeo ut Episcopus jubeatur eos compescere, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare; (d) quia scilicet vi hujus consuetudinis nihil exigitur tanquam pretium rei factæ, sed pro sustentatione ministrorum. Ergo similiter licet lucrum ex mutuo sit jure naturali prohibitum, potest tamen licitum fieri augmentum ultra sortem, quod consuetudo approbat pro bono publico.

*Et consue-
tudinem
exigendi
aliquid oc-
casione a-
ctuum spi-
ritualium.*

VII. Lex naturalis prohibet usuras, quatenus sunt lucrum injustum, cedens in gravamen præcisè ratione mutui: unde non prohibetur simpliciter lucrum occasione mutui, sed lucrum præcisè ex mutuo, quod est onerosum: quando igitur loco gravaminis succedit bonum commune, jam ita variatur materia, ut non cadat amplius supra ipsam prohibitio.

*Lucrum
tale non
est inju-
stum:*

VIII. Causæ autem justæ, publicam utilitatem concernentes, pro permittendo auctario ex mutuo, sunt evitatio litium: facilitas obtinendi mutuum: subsidium inde proveniens personis, quæ per seipsas non possunt negotiando lucrum capere ex suis pecuniis: tranquillitas conscientiarum, ne ob alios intervenientes titulos oriantur multi scrupuli: præsumptio generalis, tum quòd in mutuo ordinariè adsit alius justus titulus; tum quòd mutuatario adsit oportunitas lucrum faciendi ex re mutuo accepta. Statutum enim, fundatum in præsumptione generali, rectè fertur, & vim habet pro omni casu, etsi in quibusdam casibus parti-

*Sed ratio-
ne boni pu-
blici con-
cessum,*

K

cula-

cularibus cesset illa ratio, in qua fundatur universaliter illud statutum.

*Vel potius
à populo
volente
introduc-
tum.*

IX. Advertunt Patroni hujus opinionis, facultatem fumendi aliquid ultra sortem primario non provenire à Principe, onus istud invitis subditis imponente: sed potius ex communi consensu populorum Germaniæ, qui pactum istud mutuo adjectum, sibi utile prorsus, ac optandum agnoverunt, Principe demum id confirmante, & modum ponente intra limites moderati lucri. Nam ante omnem casum particularem, cuilibet optabile est, ut possit pecuniam, si ea abundet, utiliter impendere: & vicissim, eam, si indigeat cum modico damno acquirere.

*Doctores
pro hac o-
pinione.*

X. Demum moventur aliqui auctoritate gravissimorum Doctorum. Primo loco pono P. JACOB. LEDESMA, qui in Congregatione super censu Germanico, anno 1573. Romæ habita, vehementer contendit, licere accipere s. pro 100. ex consuetudine per legem approbata, saltem si accedat miserabilitas personæ, quæ alia negotiatione lucrum ex sua pecunia quærere non potest. Diciturque Ledesma de hac re composuisse integrum librum. Additur, alios quidem contradixisse, consensisse tamen in hoc, quòd liceret tam Confessario, quàm pœnitenti sequi opinionem illam. Paucis post mensibus eodem anno Paulus Hoffæus, notum Baviaræ nomen, ex Collegio Monacensi, datorum in illa Congregatione responsum declarationem petiit à Francisco Toletò, qui eidem cœtui præferebat. Prima Hoffæi quæstio his verbis concipitur: *Nonne P. D. Ledesma tenuit, si consuetudo vel lex coincidat cum miserabilitate personæ, posse tunc accipi s. pro 100. Et nunquid R. V. dixit, si quis idem sentire volet cum eodem P. Ledesma, licere?* Ad hanc quæstionem Toletus his verbis respondet: *Ita dixit P. Ledesma, quando consuetudo est probata, nempe quando Magistratus sciunt & consentiunt. Et ego dixi tunc, & dico*

dico iterum: tanti enim facio P. Ledesma, ut si quis mihi diceret, se sentire velle cum P. Ledesma in hac parte, ego non contradicerem. (e) Ejusdem opinionis circa annum 1577. fuit in Germania MARQUARDUS Episcopus Spirensis, & Amplissimus Senatus Camerae Imperialis. (§. 248.) Insuper auctoritatem Principis in permittendo auctario ultra sortem agnoscunt

ADAMUS TANNERUS *Theol. Schol. tr. 3. d. 4. de Just. q. 7. n. 79.*

ZACHARIAS PASQUALIGUS *Decis. Moral. 183. n. 13. seqq.*

CHRISTOPH. HAUNOLDUS *de F. & F. tr. 9. n. 421. seqq.*

LUDOVICUS BABENSTUBER *Theol. Moral. quam Ethicam super-naturalem Salisburgensem vocat, tr. 7. disp. 6. art. 4. n. 23.*

PAULUS MEZGER *Theol. Scholast. Salisburgens. tom. 3. tr. 13. disp. 43. art. 2. n. 11.*

PLACIDUS BÖCKHN *Comment. ad Jus Canon. lib. 5. tit. 19. n. 10. seqq.*

FELIX POTESTAS *Exam. Eccles. tom. 1. n. 2414. ubi opinionem & rationes Pasqualigi ita refert, ut eis inhæreat.*

DOMINICUS VIVA *de Usur. quest. 3. art. 1. n. 4.*

VINDEX GOBATI *ad prop. 18. n. 25.*

Omitto Juris Civilis innumeros interpretes.

(a) C. 12. XIV. q. 4.

(b) Arg. c. 3. de postul. Pralat.

(c) C. 8. 9. 29. de simonia.

(d) C. 42. ibid.

(e) Ipsæ originales literæ horum virorum sunt in meis manibus. Qui autem scire vult, quis & quantus vir fuerit Jacobus Ledesma, legere poterit ejus elogium in Bibliotheca Scriptorum Societatis JESU: Item apud SACCHINUM *Histor. Soc. Jes. part. 4. lib. 3. n. 15.* ubi fit mentio de ejus scriptis magna ex parte imperfectis, inter quæ haud dubiè liber est, hanc materiam attingens.

§. 143.

Locum jam demus P. Danieli Concinae, cujus argu-
 menta contra P. Pichler recensere lubet ipsis Adversarii
 verbis, non emendatis erroribus contra Grammaticam
 K. 2 æquè

Art. 3.
 ARGU-
 MENTA P.
 CONCINÆ

*contra
hanc opi-
nionem.*

æquè ac charitatem Christianam. Collimant illa ad dicta duo dubia, (§. 139.) scilicet vel Principem non posse Statuto suo subditis imponere obligationem solvendi præstationes quasdam moderatas, vel saltem id non posse ratione mutui. Rogo benevolum Lectorem, ut magna patientia animum obfirmet.

§. 144.

I. Principum potestas in bona subditorum

I. Principes administratores sunt bonorum Principatus: nequeunt certa dominia subditorum transferre: imò electi Principes sunt à populis, ut singulis propria Jura asserant, vindicent, defendantque. Soli Turcarum Imperatores, Tyrannique pro arbitrio in subditorum bona Jus sibi arrogat, usurpantque. fol. 272. (a)

(a) Hac allegatione foliorum designatur tractatus P. Danielis Comincæ, qui inscribitur *Usura contractus trini &c.*

§. 145.

II. Male exaggeratur à Casuistis:

II. Casuistæ, & Pseudopolitici, ut aures Principum demulceant, ut popularem auram aucupentur, altum Principum dominium exaggerant, quin ejusdem vel notionem, vel confinia agnoscant. f. 295.

§. 146.

III. Præsertim ab Ingolstadiensibus circa usuras,

III. Quantumcunque circa bona subditorum permittatur Principi, certè non potest concedi, ut vi alti sui dominiï usuras faciat licitas. Hæc enim esset monstrosa alti dominiï chimæra, f. 259. quæ ex ingeniosorum quorundam nova, prodigiosa, atque inaudita Theologia f. 261. originem atque progressum suum nacta est in universitate Ingolstadiensis. Ova posuit primus P. Adam Tannerus: illa fovit & excussit P. Christophorus Haunoldus, natósque pullos aluit, & saginavit R. P. Vitus Pichler. f. 262. Nam

§. 147.

§. 147.

IV. Quæ lege naturali prohibentur, natura sua mala sunt, nec ab ullo Legislatore possunt fieri licita: usuras autem lege naturali prohiberi, fatetur ipse P. Pichler: consequenter à nullo Legislatore possunt fieri licitæ, utpote natura sua malæ. f. 261.

*IV. quæ
contra le-
gem natu-
ralem,*

§. 148.

V. Nullus inferior abrogare Superioris legem valet: Principes DEO inferiores sunt: ergo Divinas leges abrogare, imminuere, temperare, debilitare nullo modo valent. Consequenter Principes non possunt licitas facere usuras, quas lex Divina prohibet. f. 261.

*V. & Di-
vinam*

§. 149.

VI. Lubet ad incitas revocare R. P. Pichler cum suo acutissimo Gletle, Doctore Salisburgensi, legumque Civilium Professore. Utrosque & cæteros Politicos omnes ad naturalis Theologiæ tribunal appello. f. 298. Quid adversus Jus Divinum & naturæ rationem altum Dominium opponitis? huc ubi ventum, vix habent, quod respondeant Leguleji quidam, scituli, novique politici. f. 290. 291.

*VI. non
possunt fie-
ri licita.*

§. 150.

VII. Nempe usura lucratoria juxta P. Pichler est prohibita Jure naturali & Divino *conditionatè*, videlicet facta positione, quòd Principes oppositum non decernant; tunc enim lex Divina, & naturalis evanescit. Hæc doctrina Principes Deos efficit, & DEUM subjicit Principum regimini. Ignorantem DEUM, sapientes Principes declarat. Legem suam DEUS condidit, sed *conditionatè*, id est, nisi Principes bonum publicum spectantes aliud decernant. Ignoravit ergo DEUS, quid bono publico Principatum, & Regno-

*VII. Lex
naturalis
aut Divi-
na condi-
tionata.*

rum expediat. Suam de usura Divinam & naturalem legem, Principum sapientiæ, & directioni submitit, ut pro temporum opportunitate illa abrogent, temperent, limitent, auferant? Hæc errorum portenta necessariò consequuntur doctrinam P. Pichler. f. 271. Hæretici non adeò delirarunt, ut effingerent leges naturales & Divinas *conditionatas, suspensasque*, & Principum arbitrio suppositas, ut hinc suum in easdem naturales, Divinasque leges iudicium ferrent, utrùm expedirent, necne bono publico &c. f. 286. n. 1. Hæc inaudita & portentosa monstra Patri Pichler, & Gletle reservata erant.

§. 151.

VIII. monströse fingitur:

VIII. Percontamur à P. Pichler, num *altum* Principum *dominium* juri naturali, Divinòque; aut contra, naturale, Divinùmque jus alto Principum dominio subiectum sit? Dilemma istud declinare nequit P. Pichler. Alterutrum concedat oportet: aut *dominium altum* subdit Altissimo; aut Altissimum alto. Si primum: ergo retractet doctrinam suam necessum est, qua asserit, legem naturalem & Divinam, quæ usuram vetat, *conditionatam* esse, id est, alto Principum dominio subiectam, à quo formam, & ultimam determinationem suscipere debeat. Si secundum: nova universi forma, novus ordo, nova regiminis ratio invehenda. DEUS creaturæ, non creatura DEO; non tempus æternitati, sed æternitas tempori; non humana voluntas DEO, sed DEUS potestati hominum subdendus est. Hæc omnia monstra ex doctrina P. Pichler necessariò consequuntur: imò sunt ipsa illius doctrina. f. 299.

§. 152.

IX. Nec illius vestigium os-

IX. Ubinam in Scripturis, in Patribus, in Conciliis vestigium aliquod legis naturalis Divinæ *conditionate*? usuræ vetitæ sunt naturali, Divinæque lege, tanquam absolute
Ju-

Justitiæ repugnantes. Conditio, quam P. Pichler effingit, *currit in*
chimæra est inaudita. Lex quippe naturalis cùm necessaria *S. Scri-*
sit, ab hominum voluntate pendere nequit. f. 270. *ptura.*

§. 153.

X. Ex eo, quòd DEUS Judæis permiserit usuras exigere *X. Male*
ab alienigenis, P. Pichler infert, etiam Principem posse per- *ducitur*
mittere usuras moderatas propter bonum publicum. Mi- *argumen-*
rum est, ab homine Catholico, nedum à Religioso hoc *tum*
obtrudi sophisma, ab omnibus Patribus, potissimùm ab
Ambrosio & Thoma penitus convulsum. fol. 282. Nemo
Catholicorum hæctenus somniavit, ea omnia licere Princi-
pibus, quæ DEUS, ut supremus Dominus operatur. f. 283.

§. 154.

XI. Furtum, inquit P. Pichler, lege naturæ vetitum; *XI. à con-*
& tamen DEUS, ut Supremus Dominus bona Ægyptiorum *cessione*
Hebræis donavit. Id præstitit DEUS: ergo & Princeps? *DEI:*
Polygamiam DEUS concessit: ergo concedet & Princeps?
potest DEUS efficere, ne accessio ad mulierem sit fornicatio:
ergo & Princeps? Hæc sunt dogmata, quæ R. P. Pichler,
commentus est. fol. 270. Quemadmodum lex naturalis &
Divina prohibens usuras, subditur alto Principum dominio,
eadem ratione lex naturalis, quæ simplicem fornicationem
vetat, subdetur alto Principum dominio ob bonum publicum.
Quid quòd omnino certum non est, polygamiam simulta-
neam lege naturæ esse vetitam. Lex prohibens turpe fœnus,
subjacet alto dominio: Secùs lex prohibens uxores plures? cur
hoc? designent *Pichleriani* discriminis vestigium. Sanctis
Patriarchis plures DEUS concessit uxores: illis verò fœne-
randi artem inter seipsos nunquam permisit. Aut ergo
suam doctrinam improbent *Pichleriani*, aut cum Bucero,
Luthero, aliisque nonnullis fateantur, ob bonum publi-
cum, licitum honestumque esse plures habere uxores. f. 300.

§. 155.

§. 155.

XII. Ab homicidio licito:

XII. Neque est paritas cum homicidio potestate publica, vel pro necessaria defensione patrato. Nam qua lege naturali vetitum est homicidium potestate publica iustum? imò quid expressius in scripturis imperatum, quàm homicidium potestate publica definitum? Ubi verò imperatæ usuræ potestate publica approbatæ? f. 270.

§. 156.

XIII. Ant à præscriptione,

XIII. Objectum à Præscriptione petitum, ineptum sophisma est. f. 271. Nullibi enim lege naturali & Divina vetita præscriptio est. f. 270. sed potius præscriptio à Jure Divino, Gentium, naturali & positivo ortum ducit, ejusque mentio fit in ipsa Divina Scriptura, *Judic. c. 11.* Quare TANTO TEMPORE nihil super hac repetitione tentastis? quibus verbis Jephthe titulum præscriptionis allegavit, trecentorum nempe annorum possessionem. Divino ergo Jure confirmata præscriptio legitima est. f. 272.

§. 157.

XIV. Introducta a jure gentium,

XIV. Porro quòd Jure gentium præscriptio inventa fuerit, ex ipsa hac argumentatione, qua Jephthe contra aliam gentem, scilicet contra Ammonitas utitur, facile colligitur, cùm aliàs Ammonitæ eam ut vanam, & ad se non pertinentem rejecissent. Allegatur in hanc rem PLATO, TULLIUS, Leges XII. Tabularum, BELLARMINUS, TOSTATUS. f. 272. 273. seq.

§. 158.

XV. Per leges approbata:

XV. Est igitur Præscriptio remedium Jure gentium inductum, Juris civilis auctoritate probatum. Hinc clarè colligitur, quàm inepta, & captiosa sit cavillatio, qua ex lege præscriptionis legem approbantem usuras inferre contenten-

tendunt illi Professores Universitatis Ingolstadiensis. Fattentur ingeniosi homines, usuram vetitam esse lege naturali & Divina conditionatè: ubinam quæso vetita præscriptio est? f. 276.

§. 159.

XVI. Ipsum Jus naturale bonorum divisionem introduxit: quæ bonorum partitio, atque adeò dominium ab occupatione, seu possessione initium duxit: Jus autem naturæ in hac divisione tranquillitatem humani generis spectavit: huic non minus præscriptio, quàm bonorum divisio confert: ergo eodem Jure præscriptio ac bonorum divisio invecata est. Accedit, quòd in dubiis, id quod securius est, amplectendum dicitur naturæ jus: securius autem est, quando cætera Jura dubia sunt, possessorem non privari fundi occupatione. Tandem jure naturæ voluntas Domini signis externis manifestata, transfert dominium in alterum: hæc autem voluntas in circumstantiis præscriptionis satis manifestata in antiquo possessore adest, dum negligit recuperare rem suam. Allegatur GROTIUS, PUFFENDORFFIUS, FRIDERICUS ININGER, & P. FRANCISCUS SCHMIER. fol. 274. 275.

XVI. Imò
Jure

§. 160.

XVII. Paritas præscriptionis inutilis prorsus est & vana. Nam vi Juris naturalis concessivi bona omnia communia erant: Jure gentium invecata divisio est: hac partitione facta, Jus naturæ suboritur, vi cujus nemo spoliari suis bonis possit absque culpa. Verùm sæpe contingit, ita perturbari, & confundi hæc dominia, ut veri deprehendi Domini nequeant. Tunc opportunum præscriptionis remedium locum habet. Quid hinc ingeniosi homines? ergo Principes, qua ratione, inquirunt, legem præscriptionis ediderunt, eadem legem usuras probantem rogare poterunt. Næ isthæc legitima consequentia! quidquàmne inutilius obtrudi

XVII. Na-
turali,

L

po-

potest? quænam inter usuram, & præscriptionem similitudo? quænam analogia? nulla omnino. fol. 277.

§. 161.

XVIII.
quod præ-
scriptio-
nem mini-
mè prohi-
bet.

XVIII. Sed pressius alio sub aspectu argumentationem dispiciamus. Retineatur fundus, per me licet, vi legitimæ præscriptionis, etiamsi elapso termino, appareat verus dominus. S. Thomas tamen non allegat potestatem transferendi dominia absolutè, sed facultatem puniendi negligentiam dominorum: qua negligentia posita, in ejusdem poenam, bona transferuntur. Quid dicendum, quando nulla præcessit culpa respectu domini, *alibi* explicabo. In præsentiarum iterum ad incitas redigere lubet P. Pichler, ejusque Assèclas. Nunquid jus naturæ prohibet, ne in casu dubio, cùm dominia incerta sint, nequeátque verus internosci dominus, legislatores ad puniendam dominorum negligentiam, excitandámque vigilantiam, & sollicitudinem, hoc remedium constituent? Quid juri gentium, quid rationi conformius? quo ergo ausu à præscriptione, naturali Divinóque Juri consentanea, portentosus fit transitus ad inferendam licitam usuræ concessionem? fol. 277. & 278.

§. 162.

XIX. Unde
male ar-
gumen-
tum duci-
tur ad u-
suras,

XIX. Ut argutatio P. Pichler locum haberet, sic instituenda foret. Præscriptio lege naturali prohibita est; & tamen Principes ob bonum commune præscriptionem approbant. Ergo licet usura Jure naturali, & Divino vetita sit, Principum auctoritate concedi justè poterit. Tunc argumentum urgeret. P. Pichler autem à præscriptione omni Jure approbata, ad usuram omni Jure prohibitam argutatur, Logica sanè inaudita. Et tamen hi sunt, qui Logicæ incitiam aliis exprobrant. fol. 278.

§. 163.

§. 163.

XX. Discant ergo illi, qui altum dominium buccinant, *XX. Circa*
 quamvis ejusdem notionem & limites penitus ignorent; *quas nihil*
 discant, inquam, nullum altum creatum dominium, imò *possunt*
 ne Altissimum quidem, aliquid posse adversus ea, quæ Jure *Principes.*
 naturali aut Divino sancita sunt. Quamobrem chimæra
 est inaudita, confiteri usuram lege naturali & Divina in-
 terdictam esse, & simul propugnare, eandem usuram lici-
 tam evadere posse, aut consuetudine contraria, aut Princi-
 pum Statuto. In controversiis duntaxat, in quibus Jus
 naturale occultum est, & ignoratur, cui faveat, definire
 Principes, ut interpretes legis, queunt pro hac, & non pro
 illa parte Jus stare. fol. 278.

§. 164.

XXI. P. Pichler ait, se notanter de usura *minùs strictè* *XXI. Male*
accepta loqui, quibus verbis non excludit usuram presè & *assumitur*
 verè acceptam, sed sensus illius est: Statutum Magistratus, *appellatio*
 aut lex Principis, aut consuetudo, titulus quidam est, vi *usuræ mi-*
 cujus usura, alioquin rigido in sensu considerata, evadit *nus strictè*
minùs strictè accepta. Ne multa, Statutum Principis efficit, *dicta:*
 ut usura strictè accepta, licita evadat: imò vi hujus Statuti
 minùs stricta usura est. Quare particula illa, *minùs strictè*
sumpta nihil temperat doctrinæ errorem, sed erroris gravi-
 tatem prodit, & radicem pandit, unde insignis error pro-
 ficiscitur. fol. 281. 282.

§. 165.

XXII. P. Pichler adoptat damnatas hæreticorum sen- *XXII. Hæ-*
 tentias. Pecuniæ sterilitas semper Catholicis certa fuit: & *reticè asse-*
 adversa sententia hæreseos suspecta. Itaque P. Pichler, qui *ritur fa-*
 dicit, pecuniam accedente hominis industria fructificare *cunditas*
 posse, & utilitatem afferre, vetera & nova Paradoxa erro- *pecunie.*
 nea conjungit, & errorum portentosam efficit chimæram.

L 2

Si

Si facunda pecunia sit hominis industria, non secus ac ager, domus &c.; cur lege naturali, Divinâque usuram vetitam *conditionatè* asseris? Eccur ergo utroque jure vetita pecuniæ locatio, si æqualis est, industria humana accedente, facunditas? suum ergo jugulum propriis antilogiis petit P. Pichler, & errores erroribus cumulat. Ab hæreticis mutuatus est pecuniæ facunditatem: proprio verò marte legem naturalem & Divinam arbitrio Principum subdidit. Extrema opposita copulavit, ut portentosam in genere morum chimæram conflaret. fol. 289.

§. 166.

XXIII.
Frustra
obtendi-
tur utili-
tas Reip.

XXIII. Frustra obtenditur utilitas Reipublicæ. Utilissimum sæpe Principatui est, duas habere Principem uxores, ne absque liberis moriatur, bellâque sequantur funestissima. Decreto ergo Reipublicæ poterunt homines pluribus frui uxoribus. fol. 263.

§. 167.

XXIV. Tum
ob evita-
tionem li-
tium:

XXIV. Causæ nunc ad criticen revocantur, quas pro approbandis usuris P. Pichler in medium profert. Prima est *Evitatio litium*. DEUS præcognovitne futuras inter homines lites, dum usuras prohibuit, an easdem ignoravit? si postremum, ignorantem ergo DEUM constituit. Si primum, alterutrum dicendum: aut injustum fuisse DEUM adversus usuras legem condendo, quæ litium & dissensionum fons esset & causa: aut lites non esse approbandarum usurarum causam sufficientem. Insuper lites tamdiu erunt, quamdiu homines: delendæ ergo de Sacris Codicibus tot adversus usurarios comminationes: non ampliùs recitandi in Psalmis textus contra usuram: abrogandæ perpetuò usuræ leges: DEUS injustus, improvidus, ignorans fuit, illas condendo: hæ blasphemix absurdam doctrinam P. Pichler necessariò consequuntur. fol. 283.

§. 168.

§. 168.

XXV. Altera approbandarum usurarum causa, quam P. Pichler assignat, scilicet *facilitas obtinendi mutuum*, blasphemias & horrenda absurda, & hæreses jam indigitatas, re-
novare & confirmare videtur. Nam hac doctrina admiffa, *ob facilitatem obtinendi mutuum* DEUS prohibendo usuras, bonum commune rerum publicarum perturbavit, subditos oppressit, ignorantem se prodidit in publici boni provisione: imò injustitiam maximam irrogavit universo humano generi: injustè atque crudeliter Ecclesia Catholica per tot sæcula vexavit, torsit, oppressitque fidelium conscientias, tot Canones, tot decreta, tot constitutiones nulla restrictione facta contra usuras edendo.
fol. 284.

§. 169.

XXVI. Nunquid quia tu malus es, pervertenda sunt naturæ jura? excogitarine ineptius, aut flagitiosius ratiocinium potest? aut eleemosyna, aut gratuito mutuo succurrendum Christus Dominus vult communibus proximis necessitatibus. Contemnunt, inquit, Christiani hanc charitatis legem. Non repugno. Sed quæro, si hæc charitas vigeret, essetne abundanter provisum proximi indigentibus? Id certè Adversarii non inficias ibunt; nulla enim tum usurarum necessitas. At quia refriguit charitas, ideò violanda est lex justitiæ, quæ usuras prohibet? hoc est novæ Theologiæ *genium*, hæc indoles digna sanè, quæ detestatione ac lacymis excipiatur. f. 314. Rationes quæ pro usuris afferunt, haud eis præstant, quæ pro honestanda fornicatione aut Polygamia simultanea, aliisque bene multis afferri possent. Hæc est tota Theologia Adversariorum: quia homines mali sunt, injustum DEUM volunt: & ex unius legis violatione, aliam quoque infringendam esse inferunt.
fol. 315.

L 3

§. 170.

§. 170.

XXVII.
Divites,

XXVII. Istius novæ Theologiæ faciem deformem clariùs perspicies, si quæ de divitibus obtrudunt, audies. Sæpenumero divites nobiles ingenti pecuniæ summa indigent, ad legationem obeundam, conjugia celebranda &c. hanc gratis nemo mutuatur. Quid inde? ideóne usura licita? census faciat: supellectilem, fundos, domos vendat aut oppignoret &c. vel gerat se ut pauperem. Non enim si dives est, premitur pecuniæ inopia; prævidet enim, quæ narrasti, à se peragenda: & opportuno tempore pecunias parat. Quòd si divites improvidi, lufores, prodigi, stultique sunt, quid inde? ne eorum luxus detrimentum patiatur, DEI leges laxandæ, naturæ jura evertenda? fol. 316.

§. 171.

XXVIII.
Aut mer-
catores:

XXVIII. Ad promovenda commercia usuras necessarias clamitant. Verùm potiùs usurarum causâ commercia jacent. Frequenter enim versipelles homines circumveniunt pecuniosos Divites; & dum ingentem pecuniæ summam in manibus habent, foro cedunt, se decoctos pandunt, magno aliorum damno. Longa didici experientia, illos communiter mercatores foro cedere, qui alienis pecuniis negotiantur. fol. 318. Alii autem Mercatores negotiantur, ut divitias augeant. Est ergo licita ab iisdem usurarum perceptio? licet ergo usuris fovere avaritiam, explere cupiditatem, omnium malorum radicem? Licita mercatura est, ut mercatores familiam alant, pauperibus provideant, ut necessaria vitæ, patriæ non desint. Hæc omnia mediocris fortunæ negotiatores præstare valent. fol. 311.

§. 172.

XXIX. Tum
ab subsi-

XXIX. Tertia approbandarum usurarum causa auget erroris gravitatem, scilicet *subsidium ex usuris obveniens Ecclesiis,*

fiis, locis religiosis, viduis, pupillis, & personis miserabilibus &c. Quid? callentiorésne sunt Universitatis Ingolstadianæ Professores, eorum quæ noxia sunt, aut congrua Reipublicæ, quàm DEUS ipse? Curam viduarum, pupillorum, & Religiosorum abjecit ergo DEUS, dum toties usuras prohibuit? fol. 284. 285.

dium Ec-
clesiarum.

§. 173.

XXX. Quarta causa est tranquillitas conscientiarum. Cùm hæc ex P. Pichler rescribo, mihi somniare videor, & delirare. Adeò monstrosa sunt, ut vix in fanam cadere mentem valeant. Cariórne Principibus, ac Patri Pichler conscientiarum tranquillitas est, quàm DEO ipsi? usuras DEUS vetuit: has Principes approbant &c. vix hæc refutari meliùs valent, quàm si cachinnis, & detestationibus excipiantur. fol. 285.

XXX. Tunc
ob tran-
quillita-
tem con-
scientia-
rum:

§. 174.

XXXI. Quinta causa est Præsumptio generalis, quòd in mutuante regulariter, & ordinariè adsit justus alius titulus, aliquid accipiendi ultra sortem. Lex ergo naturalis & Divina usuras vetans, solùm in aliquo raro & extraordinario casu obligat: usurarum ergo scelus rarum & extraordinarium. fol. 285.

XXXI Tunc
ob præsum-
ptionem
genera-
lem.

§. 175.

XXXII. Certè si in orbe Catholico aliqua esset remittendæ Divinæ legis potestas, hæc esset penes Pontifices: isti autem testantur, Divinam legem adversus usuram dispensationi non subjacere. (a) fol. 296.

XXXII. Pa-
pa nec di-
spensatio-
ne.

(a) c. super eo. 4. de usur.

§. 176.

XXXIII. Saltem Papa poterit declarare, usuram approbatam à Principe licitam esse. Atqui Ecclesia Catholica in œcumenico Concilio Viennensi congregata, vetuit statuta Prin-

XXXIII.
Nec decla-
ratione

*reddat u-
suram licit-
am:*

Principum usuras approbantia *moderatas*; nam immoderatas nemo, nisi stultus unquam probavit. fol. 296.

§. 177.

XXXIV.

*Multo mi-
nus Prin-
cipes,*

XXXIV. At, inquis, translato dominio bonorum, nullo amplius modo DEI lex violatur: Principes materiam præceptorum immutant ratione alti dominii, qua mutata, lex DEI cessat. Ineptissimæ sunt argutationes istæ. Ignoravit ergo Ecclesia in Concilio Viennensi, ignorarunt Patres, ignorarunt Concilia, ignorarunt Pontifices omnium sæculorum hoc altum Principum dominium, quo usuræ moderatæ honestantur. Ineptæ ergo sunt omnes SS. Patrum adversus usuras quasque declamationes, inepti Canones, ineptæ Decretales omnes. Per summam injustitiam Pontifices Summi Alexander VII. & Innocentius XI. damnarunt quatuor adversus usuras propositiones. Fatuus prorsus fuit Guilielmus Baviaræ Dux, dum anno 1581. consulit summum Pontificem Gregorium XIII. super contractu usuræ suspicioni obnoxio. Sed nondum erant in sua Universitate Ingolstadiensi nati Canonistæ, qui illi recordarentur suum altum Dominium in omnia subditorum bona, ut hac via omnes adversus usuras etiam moderatas, abolere leges posset. fol. 296.

§. 178.

XXXV.

*Quibus
male sub-
jicitur po-
testas Ec-
clesiæ:*

XXXV. Nempe P. Vitus Pichler eo progressus est, ut supremum jus, quo potitur Ecclesia, legis Divinæ interpretandæ, eidem surripuerit, & ejusdem Ecclesiæ potestatem in Divinarum legum interpretatione alto Dominio Principum subjecerit, dum docet Ecclesiam prohibere non potuisse ejusmodi Principum statuta: & hac ratione Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem evertit. fol. 294, 295.

§. 179.

XXXVI.

Qua non

XXXVI. Cum Molinæo, Salmasio, aliisque hæreticis foedus iniivit P. Pichler, ut Concilii Viennensis decreto fu-
cum

cum faceret, latebrásque quæreret, dicendo, Concilium *folium im-*
intelligendum esse de statutis, quibus improbum foenus, usu- *modera-*
ra excessiva, mordens, cum læsione charitatis permittere- *tas,*
tur &c. fol. 293. 294.

§. 180.

XXXVII. ARCADIUS Imperator, Theodosii filius, *XXXVII.*
permisit Senatoribus, istorum avaritia sic postulante, me- *Sed mode-*
dietetatem centesimæ. (a) In hanc tolerantiam invehitur *ratas e-*
AUGUSTINUS, (b) *quid dicam de usuris, quas etiam ipsæ le-*
ges, & Judices reddi jubent. Hæc atque ejusmodi, MALE uti-
que possidentur, sed non est, quo judice repetantur. Injustè pos-
sideri foenora moderata, imò moderatissima, qualia erant
sex aut quatuor, aut duo in centum, clamat Augustinus.
Sed Judex non erat, qui ad restitutionem compelleret. (c)

- (a) *Leg. 4. Cod. Theodos. de usur. lib. 2. tit. 33.*
- (b) *Epistol. 153.*
- (c) *Concina Comment. fol. 198.*

§. 181.

XXXVIII. Disputationi finem impono verbis TER- *XXXVIII.*
TULLIANI (a) *Quam sapiens argumentatrix sibi videtur igno-*
rantia humana, præsertim cum aliquid ejusmodi de gaudiis & fru-
ctibus hujus sæculi metuit amittere. fol. 328. *Sola au-*
tem igno-
rantia
humana
tuctur.

- (a) *Lib. de spectac. c. 2.*

§. 182.

Hanc sophismatum & cavillationum farraginem silen- *Art. 4.*
tio præterire, nefas est. Nolo tamen respondere meis ver- *RESPON-*
bis, cum opinionibus R. P. Pichler in hac materia non ad- *SIONES AD*
hæream. Optabam, ut alius examen institueret, an Ratio- *ARGU-*
nes Conciniæ tantum habeant lanæ, quantum clamoris. *MENTA P.*
Exhibui eas Viro Patris Pichler studiosissimo, utpote ejus *CONCINÆ.*
quondam Discipulo. Ne autem iste verborum, quibus Liber *Discipulus*
Concinianus horret, acerbitate commotus, præ indigna- *P. Pichler,*
M tione

tione mox librum proiiceret, præmonui, P. Danielem quandoque Zelo (latè sumpto, prout involvit discretum, & indiscretum) veritatis gravissimæ, & Divinæ Sapientiæ ac Majestatis offerendæ studio, calamum paululum acuisse. (a) Negabat ille, hunc esse Spiritum DEI bonum: sed P. Danielem, non minus ac Saulem ab alio Spiritu exagitatum, suspicabatur. Monui igitur, ut bilem Concinianam (si tamen bilem habeant cælestes hi animi) leniter sedaret, eamque tangeret chordam cum Davide, qua refocillaretur P. Daniel. Audire juvat Responsiones, fusiores quàm optaveram, fidelis hujus Discipuli ad singula P. Danielis argumenta. Meum de iis iudicium subjungam,

(a) Hoc de se affirmat P. DANIEL de usur. contr. trin. fol. 285.

§. 183.

*Premisso
conceptu*

Altum Principum dominium, circa quod rotari pleraque Conciniana argumenta deprehendimus, in hoc situm esse putat P. Concina, ut ea, quæ Lex naturalis & jus Divinum præscribunt, Principes exsequantur: ut ob publicam utilitatem in fontes pœnam capitis constituere valeant: ut bello subditos defendant: ut subditus vel invitus domum suam, si id requirat publicus ornatus viarum, aut reficiat, aut demoliatur: ut frumenta, aliisque merces penuriæ tempore divendat: ut ad dirimendas lites fundorum possessores, positis conditionibus præscriptis, non turbentur. (a) Sufficit hæc alti domini idea fini, quem sibi præstituit P. Daniel, ut scilicet absque methodo confusè suggillet aliorum dicta.

(a) *ibid. fol 291.*

§. 184.

*Domini
alti,*

Curatiùs loquuntur Juris publici Interpretes. Juxta hos *Majestas* seu summum Imperium, est *Potestas alteri non subiecta, gubernandi Rempublicam ad communem felicitatem subditorum.* Hæc summa potestas, cùm sit Jus quoddam universale,

ſale, ſub ſe continet varia Jura particularia, veluti totidem poteſtates, ac particulas Majeſtatis. Et inter hæc numeratur quoque *Dominum altum*, ſeu eminens, quod habet Imperans in Cives, & res Civium ad uſum publicum; vi cujus ſcilicet Imperans urgente neceſſitate, ad ſalutem publicam bona ſubditorum poteſt in uſus publicos convertere, vel etiam peſſumdare. Sic ædes deſtruuntur, agri exuruntur belli tempore. Hoc formato alti Principum domini conceptu, argumenta Concinaiana ad libram ſanæ Jurisprudentiæ ponderabimus.

§. 185.

Ad I. (§. 144.) In iis locis, ex quibus priora duo argumenta exſcripta ſunt, videtur P. Daniel negare Principi facultatem omnem diſponendi de Bonis ſubditorum. Primum quidem argumentum, quod Turcarum Imperatoris mentionem facit, æquè bene contra P. Pichler concludit, ac illud ineptæ illationis exemplum, Dialecticæ Tyronibus proponi ſolitum: *Turca dormit, ergo baculus in angulo.* Ejusdem furfuris eſt illatio P. Concinae: ſoli Tyranni pro arbitrio in ſubditorum bona jus ſibi arrogant; ergo Princeps ex cauſa publica & in certis circumſtantiis non poteſt ſubdito moderatam præſtationem imperare. Conſulat P. Daniel exempla domini alti à ſe poſita, (§. 183.) & judicet de ſuo argumento. Dein has præſtationes, de quibus loquimur, non imponit invitis Princeps, ſed communi populorum uſu inductas confirmat, omnemque exceſſum coërcet. Quis autem de hac conſuetudine, & approbatione Principis, ſit ſenſus populi, manifeſtum in his terris fiebat, quando Dux Baviaræ, & Episcopus Auguſtanus, pio inducti zelo, decretis ſuis abrogare hunc uſum videbantur, mox tamen lamentis & querelis populi permoti fuerunt, ad decreta illa in mitiorem partem explicanda: de qua re fuſior redibit ſermo in *Capite ſequenti.* Et hæc Statuta Principum,

*Reſpondet
ad argu-
menta P.
Concinae.
Ad I. Non
tribuitur
Principi-
bus*

ex voto & utilitate subditorum condita, audet immoderatus calamus conferre cum violentis usurpationibus Tyrannorum.

§. 186.

*Ad II. Nimi-
a potes-
tas in bo-
na subdi-
torum:*

Ad II. (§. 145.) Non satis penetra, quomodo Casuistæ, exaggerando altum Principum dominium, simul aures Principum demulceant, simulque popularem auram aucupentur. Hanc certè non adipiscetur, qui Principibus tyrannicam in subditorum bona potestatem, jusque pro arbitrio sibi arrogandum tribuit. Vel igitur P. Daniel fallit, dum nimiam potestatem Principibus tribui dicit: vel fallitur, dum popularem auram aucupari Casuistas credit. Quid aucupentur illi, qui jactando sententiarum rigorem, Christianæ modestiæ & charitatis leges violant, jam pridem detexerunt alii. Quis meliorem notionem alti domini teneat, judicent legum periti: an P. Pichler, qui moderatam præstationem longo usu introductam approbari à Principe posse affirmat: an P. Concina, qui subditum compelli posse asserit ad demoliendas ædes pro ornatu viarum? (§. 183.)

§. 187.

*Ad III. Sed
tantum
circa mo-
deratam
præstatio-
nem,*

Ad III. (§. 146.) Posse aliquid Principem circa bona subditorum, non obstantibus duobus primis argumentis, fatebitur haud dubiè P. Concina. (§. 185. 186.) In reliquis contendit, Principem non posse præstationem imponere occasione mutui. Negat imprimis, eum usuras posse facere licitas. Si nomine *usura* intelligat lucrum præcisè ratione mutui exactum, istud nemo Ingolstadiensium unquam pronuntiavit licitum. Igitur P. Daniel non cum Tannero, Haunoldo, aut Pichlero, sed cum horum virorum umbris, Andabatarum more digladiatur. Pruriebat inquieti zeli homo ad impugnandos aliquos Germanos, cum pugna cum Italis non prorsus feliciter cesserint. Tribuit Adversariis, quos calamo confi-

gen-

gandos destinabat, eas opiniones, quæ cum plausu, & verborum pompa oppugnari possent. Fingit Ingolstadienses (toti enim Universitati, paucorum quorundam opinionem adscribit) docere, licitum Statuto Principis fieri posse id, quod jure naturali, & Divino est prohibitum, & intrinsecè malum. Nequaquam ita dissipuerunt Viri Clarissimi. Id solùm quibusdam visum est, moderatum auctarium ultra sortem occasione mutui exigì posse, sicut ex aliis titulis damni emergentis aut lucri cessantis, ita etiam ex Statuto Principis, jus istud ad creditorem transferentis. Apparebit ex sequentibus, num adeò monstrosa & chimærica sit hæc alti domini Idea. Cur autem ob hanc doctrinam sola Universitas Ingolstadiana vapulat? Tres ex ista Academia adducit P. Daniel: Tres ex Salisburgensi Universitate pro eadem stantes opinione, supra nominati sunt. (§. 142. X.) Cur non in istam quoque eadem dicteria jaciuntur? (a) Cur non exagitur Zacharias Pasqualigus, totusque illustris Ordo Clericorum Regularium, cujus præcipui Viri opus ejus approbarunt? Cur immunis est Felix Potestas, totusque Ordo Minorum S. Francisci de Observantia? An fortè omnes isti incubuere ovis, quæ à Tannero Ingolstadii posita, jocatur P. Daniel? Certè Jacobi Ledesmæ sententia (§. 142. X.) palam facit, aliam gallinam in Italia aut Hispania idem cecinisse eo tempore, quo Tannerus vix natus fuerat. (b) Fortè resuscitabitur famosa illa quæstio, quidnam in rerum natura prius fuerit, an gallina, an ovum? (c)

(a) Jam acuerat P. Daniel sagittas æquè in P. Babenstuber, Salisburgensis Academiæ Professore, ac in P. Pichler. Nam *Commentar. fol. 151. utriusque paradoxa singulari Dissertatione labefactaturum* seminatur. Sed dimisso ex rationibus, sibi & mihi notis, Babenstuber, totam pharetram in P. Pichler exoneravit, paucis telis in Dominum Gletle detortis, quin tamen per ejus latus Academiam Salisburgensem, ubi Jus Civile docuerat, impeteret.

(b) TANNERUS natus est anno 1572. & Congregatio, in qua LEDESMA hanc opinionem tenuit, habebatur anno 1573.

(c) Hanc quæstionem ab Oldrado in suis Consiliis examinatam refert TESAURUS *Decis. Pedemont. 229. in fin.*

§ 188.

*Ad IV. Nec
naturali,*

Ad IV. (§. 147.) Concedunt omnes, usuras strictè dictas, seu auctarium ratione solius mutui acceptum, non posse fieri licitum. Probabile autem putat P. Pichler, licitum posse fieri in mutuo auctarium ex Statuto Principis & consensu subditorum: quod vocari potest usura minùs strictè accepta. Hanc lex naturalis nunquam prohibuit, sicut nunquam prohibuit auctarium ratione damni emergentis, aut in Montibus Pietatis pro salario Ministrorum exactum.

§. 189.

*Ad V. Nec
Divina
lege*

Ad V. (§. 148.) Quod de lege naturali dictum est, dici quoque debet de lege Divina, scilicet hujus objectum non esse auctarium ex alio titulo, quàm ratione mutui perceptum.

§. 190.

*Ad VI.
Prohibi-
tam.*

Ad VI. (§. 149.) Inhumanior es, quàm credis, Reverende Pater, dum Pichlerum cum Gletle ad incitas revocas. In easdem enim angustias conjicis simul præstantissimos Theologos & Canonistas Salisburgenses cum tota Academia illa, quæ illorum libros approbavit. Vide quantum stragem edas! Verùm habet P. Pichler, habent Salisburgenses, quid respondeant. Nequaquam opponunt altum Principis dominium legi Divinæ, vel naturali: solummodo concedunt Principi potestatem, disponendi moderatè circa bona subditorum ex causa publicâ, cum magno ipsorum subditorum emolumento, volentibus & optantibus ipsis subditis.

§. 191.

§. 191.

Ad VII. (§. 150.) Malignum humorem oculis offusum esse oportet, nisi quis cernat, minimè hunc esse sensum vocis *conditionatè*, ac si de lege naturali & Divina iudicium ferre possint Principes. (§. 133.) Quando P. Daniel tribuit Principi potestatem demolendi ædes subditorum, ornatus viarum conciliandi gratia: quando concedunt omnes, Prælato Ecclesiastico potestatem dispensandi in voto: dicemúsne, DEUM Legem suam de gravi damno aliis non inferendo, de voto servando &c. submitfisse Principi, ac Prælato Ecclesiastico, nisi scilicet iste ad ornatum viarum, ad salutem voventis, aliud decernat: ignorasse DEUM, quid ad bonum communitatis, ad salutem voventis expediat; suspensas esse naturales & Divinas Leges Justitiæ & Religionis, ut Princeps, ut Prælatas Ecclesiasticus pro temporum opportunitate illas abroget, temperet, limitet &c. Portentosa monstra in hoc fingere, tibi reservatum fuit, Reverende Pater. Omnibus notum est, posse Principes aut Prælatos Ecclesiasticos statuere ac disponere circa res & voluntates sibi subjectas, sine ulla læsione aut immutatione legis naturalis aut Divinæ, quæ non se extendit ad materias statuto, aut dispositione legitimæ potestatis affectas. Has leges P. Pichler dicit *conditionatas*, innoxio planè vocabulo, sed malevolæ interpretationi facilè obnoxio (§. 134.) Loquar igitur cum Jonatha de P. Pichler bona ad Patrem Danielelem. *Ne pecces, virorum optime, in Pichlerum, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt valde. Et posuit animam suam in continuo studiorum labore usque ad senectam, & percussit hostes Ecclesiæ, & fecit Dominus salutem magnam plurimis, qui vel viva voce, vel Scriptis ejus, tum in Controversiis Fidei, tum in Jure Ecclesiastico eruditi fuerunt. Viderunt concives tui, & letati sunt, impressis etiam ejus libris intra ditionem suam. Quare ergo peccas in sanguine inno-*

Ad VII.
Legis naturalis
conditionata appellatio

innoxio, tam male torquens voculam *CONDITIONATE*,
quæ est sine culpa? Ad similem vocem Jonathæ placatus fuit
 Saul: (a) an placabitur & P. Daniel?

(a) *I. Reg. XIX.*

§. 192.

*Ad VIII.
 Patitur
 bonam in-
 terpreta-
 tionem,*

Ad VIII. (§. 151.) Frustra surdo psallimus: arripit ha-
 stam ancipitem, utrinque acutam, dilemma scilicet inge-
 niosissimum, nititurque configere Pichlerum in pariete.
*Declinavit David à facie Saul; lancea autem casto vulnere per-
 lata est in parietem.* An declinare ictum similiter poterit Pich-
 lerus? Declinare non posse credit P. Daniel. Rima effu-
 giendi non superesse putat. At ecce! non rima, sed latum
 ostium patet Pichlero. Per hoc antequam egrediatur, ipse
 Pichlerus feliciore ictu vibrat hastam in Adversarium, aliud
 opponendo dilemma. Vel Adversarius intelligit, quid per
 vocem *conditionatè* velim significare, vel non intelligit: al-
 terutrum concedat oportet. Si *primum*: ergo retractet fal-
 sissimam interpretationem, qua asserit, legem naturalem
conditionatam, id est, alto Principum dominio subjectam &c. Lon-
 gè alius, & innoxius sensus est vocis *conditionatè*. (§. 133.)
 si *secundum*; ergo ineptè impugnat, quod ignorat. Diffi-
 culter hunc ictum evitabit P. Daniel.

§. 193.

*Aliis legi-
 bus com-
 muniem,*

Quæro ex isto simul & ex P. Pichler, an contractus
 mutui ad restitutionem obliget jure naturali? affirmabit uter-
 que. Insto: an filiusfamilias, qui mutuas pecunias accepit,
 easque dissipavit, liberare se in foro conscientiaè possit ab hac
 obligatione Juris naturalis per exceptionem Senatûs-Con-
 sulti Macedoniani? sine ulla hæsitatione, cum debitis tamen
 limitationibus, affirmativè respondet P. Pichler. (a) R. P. Da-
 niel fortè hæsitabit, & positivum responsum evitare volet.
 Sed non obstante tergiversatione fateri debet, opinionem,
 quæ

quæ docet, filiumfamilias per dictam exceptionem liberum à debito fieri in foro conscientia eadem ratione, qua liberatur in foro externo, non esse blasphemam, hæreticam, monstrosam, portentosam, inauditam &c. Reverebitur INNOCENTIUM IV. Pontificem, & ABBATEM Panormitanum. (b) Supponere igitur licet hanc opinionem à Canonistis & aliis Jctis communiter receptam. Jam urgeo. Qua ratione leges civiles liberare filiumfamilias possunt ab obligatione Juris naturalis in restituendo mutuo, cum tamen lex naturalis sit æterna, immutabilis, omni alia lege superior? Quid responsurus sit P. Daniel, divinare non possum; nam nullibi firmis inhæret principiis, nec sanæ rationis, nec Juris positivi. Dicit fortè, lege naturali vel Divina nullibi prohibitum esse Sctum Macedonianum. Hæc est elegans responsio, infra ad præscriptionem exagitanda. Sed Reverende Pater, Juris naturalis obligatio, lex & præceptum est, ut mutuum restituatur: consequenter Senatus-Consultum Macedonianum, quod liberum facit ab hac obligatione, corrigit, temperat, immutat legem naturalem, voluntatem DEI subiicit Senatui Romano &c. Ad hanc difficultatem P. Pichler respondet, legem naturalem, quæ restitutionem mutui præcipit, esse *conditionatam*, nisi scilicet Magistratus Civilis ob bonum publicum & pro certis circumstantiis aliud disponat: Jus enim, quod creditor habet adversus filiumfamilias, ipse DEUS & natura subjecit potestati Magistratus, ut circa illud disponat. Unde lex naturalis non aliter vult disponere de hoc jure, nisi quando Princeps perpensis omnibus circumstantiis nihil constituerit de illo. Si igitur non vocem, sed sensum Patris Pichler considero, solidam, firmam, verè Catholicam doctrinam, & rationem doctrinae traditam reperio. Pater Concina verò vel ineptis phrasibus debet doctrinam Canonistarum obfuscare, & involvere; vel debet dicere, quòd ex hoc Scto Macedoniano sequantur portentosa monstra, blasphemia.

N

Nem-

Nempe sicut per legem naturalem ea tantum restitutio mutui præcipitur, de qua Respublica ob bonum commune aliud non decernit; sic etiam non omne auctarium ultra sortem per leges naturales & Divinas prohibetur, sed illud solummodo, quod præcisè ratione mutui exigitur: atqui quod conceditur ex usu communissimo lege Principis confirmato, non accipitur præcisè ratione mutui: ergo tale auctarium non prohibetur per leges naturales & Divinas.

(a) *Jur. Canon. lib. 5. t. 19. n. 14.* loquendo scilicet de illis Provinciis, in quibus hoc statutum est receptum; in Gallia enim quibusdam Provinciis nullum, in aliis saltem ordinariè usum non habet. Vid. Author operis, *Les Loix Civiles dans leur ordre naturel. Tom. 1. p. 1. l. 1. tit. 6. sect. 4.* FERRIERE *Dictionnaire de Droit, tom. 2. v. Senatusconsulte.*

(b) *in c. quia plerique. 8. de Immun. Eccles.*

§. 194.

*Ad IX. Et
S. Scriptura
conformem.*

Ad IX. (§. 152.) Legis naturalis Divinæ conditionatæ vestigium ex Scriptura requirit P. Daniel. Miror tam celebrem Verbi Divini Prædicatorem adeò peregrinum esse in Sacris Scripturis, ut nullum rei hujus vestigium in iis repererit. Fortè nondum *Magister* in Israël est, cum hæc ignoret. Dignetur Paternitas sua oculos intendere in Librum Numerorum, (a) ubi sic legitur: *Mulier si quidpiam voverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari: SI cognoverit pater votum.. & tacuerit, voti rea erit.. SIN autem, statim ut audierit, contradixerit pater: & vota & juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quòd contradixerit pater.* Similia subjunguntur de Mariti potestate in vota Uxor. Ecce leges naturales & Divinas conditionatas: mulier vovens vel jurans lege naturali & Divina obligatur ad implendum, SI pater tacuerit: SIN autem contradixerit pater, non tenebitur spon-

sponsioni &c. qua alia magis clara voce designari potest lex naturalis conditionata? similes sunt propositiones: lege naturali puella prohibetur transgredi juramentum, nisi pater juramento contradixerit, qua stante contradictione non committitur perjurium, quod solum prohibetur à lege naturali. Et: lege naturali mutuans prohibetur aliquid ultra sortem accipere, nisi Princeps ex causa publica concesserit, qua stante concessione, hoc augmentum non erit usura strictè sumpta, quæ sola prohibetur lege naturali. Dicit P. Concina, leges naturales duplicis generis esse: alias, quæ præsupponunt hominum voluntatem, uti vota, juramenta &c. quibus positæ vis naturalis supervenit: alias esse, quæ absolutè, & quacunque hominum voluntate sublata prohibent, aut præcipiunt: de prioris generis legibus nullum nunc nobis sermonem esse: posterioris generis leges naturales, ac Divinas nulli subjacere mutationi, vel hominum dispositioni. (b) Quid igitur? an prioris generis leges subjacent mutationi, aut hominum dispositioni? An non omnia retorqueri possunt in ipsum P. Concina, qui dum dicit, has leges aliquid præsupponere, idem dicit, quod P. Pichler; dum iste asserit, has leges esse conditionatas. Sed ne frustra chartam & calamum perdam, deberet P. Daniel priori legum generi etiam annumerare eas, quæ versantur circa materiam humanæ potestati subjectam. Eandem enim esse rationem, cuivis patet. (§. 128 seqq.) Sicuti potest pater irritare votum filii impuberis, quia habet voluntatem illius sibi subjectam: ita etiam potest irritare votum filii puberis, quod posset vergere in præjudicium rei domesticæ, quia materiam hujus voti habet sibi subjectam. Eadem, non alia ratione, legem naturalem de usuris conditionatam esse, affirmat P. Pichler, non quòd lex naturalis pendeat à Principis voluntate, sed quòd materia, scilicet moderatum augmentum ultra sortem, pendeat ex potestate Principis. Monstra & Portenta omnia, quæ inde elicit P. Da-

niel, in Legislatorem Moysen, vel potius in ipsum DEUM reciderent.

(a) *Cap. XXX. 4. seqq.*

(b) P. CONCINA *de usur. contr. trin. fol. 270.*

§. 195.

Ad X. A
concessione
DEI

Ad X. (§. 153.) Judæis usuras fuisse permissas tanquam licitas, negat S. THOMAS, & ejus sequaces. Alii tamen aliter sentiunt. (*Dissert. I. §. 90.*) Putant enim, ex lege Divina licitum fuisse Judæis foenus ab alienigenis accipere, non quidem ratione mutui, sed ex alio titulo, ita ut auctarium illud eo ipso non amplius fuerit usura strictè sumpta. Ita apertè sentit S. AMBROSIUS, (a) qui *jure belli* Judæos potuisse usuras ab alienigenis exigere censuit. JOANNES MEDINA (b) jus quoddam Judæis in bona gentium à DEO concessum dicit, sicuti in vasa Ægyptiorum. JOANNES MAJOR (c) putat, concedi usuras à DEO Judæis contra Chananæos, qui injustè detinebant Judæorum terram. GABRIEL (d) enumeratis variorum opinionibus, concludit, non fore usuram, si DEUS permittat alicui recipere ultra sortem ex mutuo. STEYAERT (e) sibi persuadet, DEUM dedisse Hebræis jus recipiendi hoc quasi tributum. LUD. HABERT (f) & HONORAT. TOURNELY (g) existimant cum Medina, licitum fuisse Judæis, usuras exercere, DEO bonorum omnium Domino jus concedente illis in alienigenarum bona, sicut iis aliquando licentiam dedit Ægyptios spoliandi.

(a) *Lib. de Tobia. cap. 15.*

(b) *De reb. restit. ex usura q. 2. ad 3. arg. princ. fol. 249.*

(c) *In 4. dist. 15. q. 23. fol. 103.*

(d) *In 4. dist. 15. q. 11. art. 1. not. 2.*

(e) *Tom. 4. Theol. pract. part. 3. disp. 42.*

(f) *Theol. dogm. tom. 4. part. 3. c. 14.*

(g) *Prælect. Theol. tom. 2. de Just. & Jur. tr. de Contractib. p. 2. 6. 3. art. 2.*

§. 196.

§. 196.

Jam examini subiiciendum est *Sophisma*, ut ait P. Daniel, ab omnibus Patribus, potissimum ab Ambrosio & Thoma *Bene infertur potestas Principis* penitus convulsam. Argumentum P. Pichler duas continet propositiones: ut igitur sit argumentum Sophisticum, peccabit vel in Antecedente, vel in Consequente, vel in illatione Consequentis ex Antecedente. Prior & antecedens propositio est: *DEUS rectè permittit Judæis usuras exigere ab alienigenis, quia habet supremum dominium & absolutum in omnes res hominum.* Usuras intellige minùs strictè sumptas, nempe auctarium supra sortem, non ex mutuo, sed ex alio titulo in mutuo perceptum. Licitum fuisse Judæis tale auctarium petere, negat quidem S. Thomas: affirmant autem alii cum Ambrosio. Plerique referunt utramque opinionem, tanquam nulla reprehensione dignam, uti Cornelius à Lapide, Stephanus Menochius, Augustinus Calmet &c. (a) Nihil itaque falsitatis, nihil Sophismatis in propositione antecedente latet, nisi S. Ambrosium, aliòsque S. Scripturæ Interpretes & Theologos turpis Sophismatis arguere velis. Æquè innocens videtur altera propositio & *Consequens*: *Magistratus humanus rectè permittit usuras moderatas propter bonum publicum, quia habet dominium altum, licet restrictum ad existentiam causæ publicæ in omnes res privatorum hominum.* Id est, juxta sensum P. Pichler, potest Princeps ex eminenti suo dominio in alium transferre jus ad aliquam præstationem pecuniariam ex causa publica &c. quid veneni hìc latet? si potest Princeps demoliri ædes subditorum ad ornatum viarum; si potest imponere tributum in suum commodum cum bono publico conjunctum: cur non possit imponere aliquam obligationem, quæ cedat non tantum pro bono publico, sed etiam in propriam subditi utilitatem? Fortè tota malitia latet in ipsa illatione hujus Consequentis ex priorè Antecedente. Nam pessima videtur hæc illatio, *DEUS*

hoc potest : ergo & Princeps. *Nemo Catholicorum hæcenus somniavit, ea omnia licere Principibus, quæ DEUS, ut supremus Dominus operatur.* Ita est : neque P. Pichler id somniavit : somnia sua fatetur P. Daniel, (§. 173.) fortè iste somniavit, id somniare Pichlerum. Reverende Pater ! non omnia licent Principibus, quæ DEUS operatur : circa ea tamen licet disponere Principibus, quæ à DEO illorum potestati pro gubernanda Republica subjecta sunt. An non credis hanc potestatem se extendere ad præstationem aliquot aureorum pro iis circumstantiis, in quibus bono publico hac ratione consulitur, & ipse debitor utilitatem inde percipit, qui tamen ab hoc onere se liberare quantocyus poterit ? si alios effectus dominii alti admittamus, etiam hunc negare non possumus. Neque obest concurrens contractus mutui : sicut enim DEUS ex dicta communi Theologorum sententia auctarium ultra sortem permisit Judæis, quin illud sumatur immediatè ex mutuo ; sic etiam Principes possunt permittere, quin proveniat ex mutuo, consequenter quin sit usura strictè dicta, quæ sola à Jure naturali prohibetur. Omnibus igitur perpensis, nullum deprehendo peccatum in argumento Pichleri, sed tota fallacia, ac sophisma reperitur in illegitima illatione P. Danielis.

(a) *In Deuterom. XXIII. 19.*

§. 197.

*Ad XI.
Circum præ-
stationes
modera-
tas :*

Ad XI. (§. 154.) Bona Ægyptiorum permisit DEUS Hebræis : quærit P. Concina, num & Princeps id possit ? Miror, quòd hæreat P. Daniel ! Potest utique Dux belli militibus permittere spolia hostium, & hac ipsa permissione efficiet, ut non sit rapina, sicut DEUS permissione sua effecit, ut Hebræi non committerent furtum. Timet P. Daniel, Juris naturalis custos integerrimus, ne æqualis fiat illatio ad polygamiam concedendam. Non est, quòd timeas, mi bone ! Nemo Catholicorum unquam credidit, DEUM po-
testa-

teſtati Principum permiſſiſſe corpora humana in ordine ad actus generationi proliſ ſervientes, ſicut tamen omnes judicant, permiſſam illis eſſe poteſtatem diſponendi circa bona ſubditorum ex cauſa publica. Vertamus argumentum ad aliam materiam. Poteſt Pontifex diſſolvere vinculum inter Episcopum & Eccleſiam, aut etiam uni Episcopopo permittere plures Eccleſias, cum tamen vinculum hoc ſpirituale ſit fortius quam carnale: (a) ergo poterit etiam Pontifex diſſolvere matrimonium conſummatum carnale, vel permittere plures uxores ſimul habendas. Solutionem hujus argumenti applicare dignetur P. Daniel ad ſuas illationes, inter quas ſatis bella eſt iſta: *Sanctis Patribus plures DEUS conceſſit uxores: illis verò foenerandi artem inter ſeipſos nunquam permiſit: ergo &c.* Simile forme argumentum: Judæis plures DEUS conceſſit uxores, & non conceſſit vel unicam alienigenam: ergo... Faciat quilibet illationem quamcunque velit: certè æquè bona erit, ac illatio Conciniana, quæ concludit improbandam eſſe doctrinam P. Pichler, aut cum Luthero permittendas plures uxores. Si per foenerandi artem intelligat P. Daniel jus ad moderatum augmentum ultra ſortem, potuiſſet id DEUS etiam Judæis permittere inter ſe, ſicut permiſit adverſus alienos. Cur autem permittere hoc noluerit, varias rationes alij aſſignant; nobis pro ratione ſit Voluntas DEI. Noto inſuper, *Pichlerianos* vocari à P. Concina, eos fortè, qui tenent opinionem, quam cum multis defendit P. Pichler. Nescio, an hoc nomen ſibi imponi volent Profefſores aliqui Theologiæ & SS. Canonum in Academia Salisburgenſi.

(a) C. 2. de *Translat. Episc.*

§. 198.

Ad XII. (§. 155.) Argumentum ex occiſione hominis ductum, planè ſatis eſt efficax pro opinione Patris Pichler, juxta explicationem ſupra traditam. (§. 131. 133.) Sicut occi-

*Ad XII.
Uti etiam
ab homici-
dio licito,*

occisio *justa* non comprehenditur sub lege naturali prohibente; sic etiam *usura minus strictè sumpta*, seu augmentum ultra sortem ex justo titulo perceptum, non prohibetur lege naturali: Statutum autem Principis ex publica causa factum, potest esse justus titulus percipiendi aliquam præstationem, (§. 140.) & quidem etiam in mutuo. (§. 141.) An autem ejusmodi leges vocemus *conditionatas*, vel earum naturam aliis phrasibus explicemus, ad rem non facit. Ex eo autem, quòd DEUS in Veteri Testamento sæpius imperaverit homicidium potestate publica definitum, nullibi autem imperaverit augmentum ultra sortem publicè approbatum, aliud inferri non potest, quàm quòd ad bonum regimen populi Judaici necessariæ fuerint poenæ sanguinis; nequaquam autem necessarium fuerit augmentum ultra sortem in mutuo exigendum.

§. 199.

*Ad XIII.
Et præscri-
ptione:*

Ad XIII. (§. 156.) Instantiam Patris Pichler à Præscriptione petitam, non esse ineptum sophisma, abunde ostendunt varii, diversiq̄e modi, quibus eam eludere conatur P. Concina, qui dum diversissimas, sibiq̄e invicem pugnantes responsiones adhibet, fatetur, sibi nullam responsionem congruam suppetere. Figamus pedem errabundi Adversarii. Edic Reverende Pater: retentio rei alienæ estne prohibita Jure naturali, vel non est prohibita Jure naturali? utique prohibitam fateberis. Ex hoc P. Pichler sic argumentatur: Quamvis lex naturalis prohibeat, ne Sempronius retineat agrum Petri; leges tamen Præscriptionis ex summa potestate Principis latæ efficiunt, ut ager Petri transeat in dominium Sempronii, adeò ut intuitu Sempronii non amplius sit alienus, & consequenter retineri possit absque ulla violatione Juris naturalis: ergo similiter licet lex naturalis prohibeat usuram strictè sumptam, seu lucrum *præcisè ex mutuo*; statutum tamen Principis potest mutuanti dare jus

exi-

exigendi aliquod auctarium, quod eo ipſo non erit amplius
lucrum ex mutuo, utpote ex dominio alto Principis con-
ceſſum. Si poteſt transferre dominium agri perpetuum:
cur non etiam Jus temporale ad aliquot aureos à debitore
pro libitu redimibile? Occaſio mutui nihil facit ad rem,
ſicut nihil facit proprietates agri ad Petrum pertinens. Nam
leges præſcriptionis faciunt, ut ager Petri non amplius per-
tineat ad Petrum, cùm iſtæ ſint titulus ſufficiens ad trans-
ferendum dominium: ſimiliter Statutum Principis efficit,
ut auctarium ultra ſortem non ſit lucrum ex mutuo, cùm
iſtud Statutum ſit titulus ſufficiens ad transferendum jus
exigendi aliquod auctarium. Nullam video *ineptiam* in ar-
gumento Pichleriano: tota igitur *ineptia* verſatur in impu-
gnatione Conciniæ. Ait P. Daniel: *Præſcriptio nullibi
lege naturali & Divina eſt vetita.* Sic in noſtra Univerſitate
ludunt tyrones Juris, non ſerio animo, ſed ſolum ut præ-
beant ſibi invicem occaſionem explicandi ſententias tradi-
tas. Mi Reverende Pater, quæſtio eſt, an retentio rei alienæ
ſit prohibita Jure naturali, & tamen poſſit fieri licita per
leges præſcriptionis. Præſcriptio eſt ipſiſſimum remedium,
quod præbent leges, vi cujus poſſit Sempronius excipere
contra Petrum repetentem res ſuas. Ipſe P. Pichler fate-
tur, Præſcriptionem non eſſe contra jus naturale: & ex
hoc ipſo infert, etiam jus illud, quod concedit Princeps
ad petendum auctarium ultra ſortem, non eſſe contra Jus
naturale. *Divino Jure confirmatam Præſcriptionem*, dicit P.
Daniel. Si transmittamus iſtud, nil tamen oberit argu-
mento Pichleriano. Nam etiam Jus Divinum non poteſt
reddere licitum, quod eſt jure naturæ prohibitum, & intrin-
ſecè ex natura ſua turpe ac malum: atqui rem alienam re-
tinere, eſt jure naturali prohibitum: ergo neque jure Di-
vino poteſt fieri licitum. Jam verò leges præſcriptionis,
ſive has dicas Divinas, ſive humanas, faciunt licitam reten-
tionem rei alienæ: ergo &c. Ecce Reverende Pater, hæc

○

tua

tua est ratiocinatio contra P. Pichler, utique inepta & illegitima.

§. 200.

*Sive hæc
habeatur
ex Jure
Divino:*

Dein ut, quod res est, dicamus, nequaquam videtur præscriptio Jure Divino approbata, sed mero humano Jure introducta. Jephthe enim non ad præscriptionis confugiebat titulum, sed ex veteri gentis suæ historia ostendit, terram Amorrhæorum, quam invadere tum tentabat Rex Ammonitarum, jure belli olim subjectam fuisse Judæis, & hinc jus nullum Ammonitis in illam competere: *Dominus DEUS Israël subvertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo suo Israël: Et tu nunc vis possidere terram ejus? ... quæ Dominus DEUS noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem.* Addit insuper Jephthe, ex ipso trecentorum annorum silentio desumi, quòd Ammonitæ in illam terram nullum unquam jus habuerint; præsumendum enim non esse, quòd Ammonitæ nec primæ occupationi, nec tot annorum possessioni unquam contradixissent, si vel minimum jus illis competiisset in regionem Amorrhæis ereptam. Hic planus & literalis sensus est textus ex S. Scriptura allegati. Jephthe igitur proprietatem terræ suo populo asserebat ex jure belli: Ammonitis autem omne jus negabat ex *præsumptione* trecentorum annorum silentio confirmata. (a) *Præsumptio* autem nequaquam habet vires præscriptionis. Illa enim solummodo procedit in dubio quoad forum externum: cessante autem dubio, præsumptio cedit veritati, præcipuè in foro interno conscientiæ. Atqui *Præscriptio* juxta communiorem sententiam, ex cujus principiis loquitur P. Pichler, non tantum habet locum in dubio, & quoad forum externum; sed etiam pro foro interno, etiamsi postea constet, agrum fuisse Petri ante completam præscriptionem. Dum id inferius conatur negare P. Concina, ostendit, se nusquam firmo pede consistere.

(a) Not.

(a) Not. in Conciniſano opere *de uſur. contract. trin. fol. 273. lin. 10.* dici *praſumptionem* allegatam à Jephthe, fuiſſe jure gentium invecſtam &c. In fine autem operis inter *errores* recenſeri hanc vocem *praſumptionem*, cujus loco ponenda ſit vox *praſcriptionem*. Sive hoc mendum ſit properantis calami Conciniſani, ſive feſtinantis typographi; id facile ſtatuitur, & typographum & calamum Concinae errantem, melius & convenientius ſcribere, quam ipſum P. Concinae, dum meditatò ſcribit, vel impreſſa corrigit. Nam pro Jephthe ſola *Præſumptio* pugnabat, non *Præſcriptio*.

§. 201.

Ad XIV. (§. 157.) A Jure Divino transgreditur P. Daniel ad *Jus Gentium*, eoque introductam *Præſcriptionem* affirmat. Quid tum? *Jus Gentium* eſt Jus humanum mutua conventionem gentium conſtitutum. Sive igitur Jure gentium, ſive Lege Principis invecſtam *Præſcriptionem* dicas, manet totus vigor argumenti Pichleriani, quòd ſcilicet reſtentio rei alienæ, jure naturali prohibita, per legem humanam *Præſcriptionis* fiat licita in ſenſu ſupra explicato: (§. 199.) & in eodem ſenſu licitum fieri poſſit lege Principis, auctarium ultra ſortem in mutuo. Tantum enim poteſt Princeps in proprio territorio per ſua ſtatuta, quantum potuerunt diverſæ gentes mutua conventionem inter ſe: nec ſtatuto Principis, nec conventionem gentium mutari poſſunt leges naturales. Has non mutavit *Jus Gentium* per leges *præſcriptionis*: ergo, infert P. Pichler, eaſdem non mutat Princeps per ſtatutum approbans auctarium ultra ſortem in mutuo.

Ad XIV.
Sive ex
Jure Gen-
tium:

§. 202.

Nolo me immittere in diſputationem cum plurimis Juris peritis, qui *Præſcriptionem* à Jure Gentium introductam ſtatuant. Id ſolùm contendo, ineptè iſtam opinionem defendi à P. Daniele. Examinare lubet, qua auctòritate hanc ſuam doctrinam tueatur. Argumentum Jephthèum non *Præſcriptioni*, ſed *Præſumptioni* nitebatur, (§. 200.) Teſti-

Pro quo
malè alle-
gatur

stimoniam culturarum Nationum, quæ in Præscriptionis confirmationem adducit P. Daniel, minimè quod ille intendit, conficiunt. Non ea omnia, quæ apud plures Gentes constituta sunt, Juris Gentium esse dicuntur: sed ea solummodo, quæ communi Gentium conventionem introducta sunt, ut iis obligentur diversæ Gentes inter se invicem.

§. 203.

Plato:

Auctoritas PLATONIS parum favet. Hic solum designat, quæ leges convenienter in Republica fieri possint. Unde id solum ex Platone ostenditur, quemlibet Legislatorem bene facere, si ejusmodi legem ferat: nec tamen reprehendi posse, si præscriptioni locus non detur. Pleræque enim illæ leges, seu legum Ideæ sunt ejus naturæ, quam ipse Plato innuit, (a) dicens, peregrino demiranti mores sibi infuetos, respondendum esse, ne miretur: *hec enim apud nos est lex; fortasse alia de iisdem rebus apud vos est.* Id quippe, quod in multis provinciis receptum est, non ideo dicitur habere vim pacti inter gentes: sed est jus civile plurium Gentium distributum, quod à singulis tolli potest. Dein in Platonis Republica Præscriptio nequaquam se extendit ad res immobiles, (b) sed solummodo res mobiles. Quale ergo argumentum de universali jure gentium ex Platone ducimus ad Præscriptionem etiam rerum immobilium? (c)

(a) *Lib. 1. de Legib. νόμος ἐστὶν ἡμῶν ἔτος, ἴσως δ' ὑμῶν περὶ αὐτῶν τῶν ἑτέρων.*

(b) *Χωρίων μὲν οἰκίσεων τε τῆδε ἐκ ἑς ἀμφισβήτησις. lib. 12. de Legib.*

(c) De legibus Republicæ Platonice parum favorable judicium ferunt multi. Vid. BRUCKER *Histor. Crit. Philos. tom. 1. p. 2. lib. 2. c. 6. sect. 1. §. 31.*

§. 204.

Tullius:

Infeliciores est P. Daniel in allegando M. TULLIO, qui scribere dicitur; (a) *quam autem habet INIQUITATEM,*
ut

ut agrum multis annis, aut etiam sæculis ante possessum, qui habuit, amittat? Contrarium omnino loco allegato Tullius dicit his verbis: *Quam autem habet ÆQUITATEM, ut agrum multis annis, aut etiam sæculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat; qui autem habuit, amittat?* Non importunum videtur, summam disputationis exhibere, in qua hanc sententiam profert Tullius. Disputat ibi contra leges Agrarias, quæ ad Præscriptionem nihil faciunt. Paulò post attingit Præscriptionem, dum narrat, Aratum Sycionium urbe sua, per 50. annos à tyrannis occupata, potitum sexcentos exules restituisse. Magnam mox Aratus advertit in bonis & possessionibus difficultatem, quòd & eos, quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere *iniquissimum* arbitraretur: & 50. annorum possessiones movere, *non nimis æquum* putaret, propterea quòd tam longo spatio multa hæreditatibus, multa emptionibus, multa dotibus detinerentur sine injuria. Judicavit igitur, neque illis adimi, neque his non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Impetrata dein à Ptolomæo grandi pecunia, persuasit aliis, ut pecuniam accipere mallent, & possessionibus cederent: aliis, ut commodius putarent, numerari sibi, quod tanti esset, quàm suum recuperare. Ob hanc æquitatem summè extollit Tullius Aratum, qui magnam præscriptioni vim jure gentium inesse planè non credidit. Licet enim *non nimis æquum* putaret, possessiones 50. annorum justo titulo & bona fide acquisitas movere: *iniquissimum* tamen arbitrabatur, eos, quorum bona alii possederant, egere. Quid amabo ex corrupta, quam P. Daniel adducit, sententia, & vera, quam recensuimus disputatione Ciceronis, eruere licet ad Præscriptionem Jure gentium confirmandam? An dices, isto jure juberi, ut huic quidem, qui longo tempore possedit, relinquatur possessio; alteri autem, cujus res antea fuerat, Princeps ex arario suo, exemplo Arati, restituat pretium?

O 3

quo.

quocunque se vertat P. Daniel, infelicem fanè Juris gentium caufidicum agit.

(a) *Lib. 2. de offic. allegatur à P. Concina de usur. contract. trin. fol. 273.*

§. 205.

*Lex XII.
Tabul.*

Ex eodem Cicerone (a) desumitur Fragmentum Legis XII. Tabularum, (b) quod P. Daniel adducit: *Lex usum & auctoritatem fundi jubet esse biennium.* Potuisset alerum locum addere, *usucapionem fundi esse à legibus.* (c) Jus istud Quiritum fuisse, nemo negat: creditne P. Daniel, colligi exinde posse, Præscriptionem *Jure Gentium* esse investam? Ego contrarium colligo. Nam inter eadem Fragmenta (d) legimus, Peregrinos non potuisse usucapere adversus Romanos: *adversus hostem* (id est, peregrinum) *æterna auctoritas esto.* (e) Ex quo infero, Romanos hac in re non agnovisse Jus Gentium, cum ab aliis Gentibus usucapionem contra se obtendi non paterentur. (f)

(a) *Orat. pro A. Cacina. §. 54.*

(b) *Fragm. XII. Tab. tit. 23.*

(c) *Cit. orat. pro Cacina. §. 74.*

(d) *Tit. 23. §. 5.*

(e) *Hostis* apud antiquos dicebatur, quem nunc *peregrinum* dicimus: TULLIUS *lib. 1. offic.* ubi hanc ipsam legem adducit.

FESTUS *de Verb. signif. V. hostis, & V. status.*

MACROBIUS *Saturnal. lib. 1. c. 16.*

(f) Videantur passim Interpretes Juris *ad Tit. de Usucapionibus, & de Præscriptionibus.*

§. 206.

Tostatus:

Pressius auctoritatem Juris gentium circa Præscriptionem probare contendit P. Daniel ex TOSTATO. (a) Hic autem asserit, tempore Ducis Jephthe viguisse præscriptionem de Jure gentium etiam *cum mala fide.* Alia enim ratio-

ratione argumentationem Jephteam explicari non poſſe credit. Potéſtne P. Daniel *bona fide* allegare hanc S. Scripturæ interpretationem, ex qua firmetur præſcriptio *mala fidei*?

(a) *In Judic. c. 11.!*

§. 207.

Dum BELLARMINUS (a) Regna & Imperia, etiam per latrocinium parta, tandem longo tempore fieri legitima dicit, non eam Præſcriptionem intelligit, de qua nobis modo fermo eſt, ne Præſcriptionem cum mala fide approbare videatur. Si Regna violenter obtenta, per plura ſæcula pacificè poſſideantur; univerſalis conſenſus populi, cujus auctoritate primitus regna conſtituta ſunt, inde colligitur, præcipuè quando ex antiquis poſſeſſoribus nemo ſuperſit, qui jus ſibi vindicare poſſit, aut velit. Nihil iſta ad rem noſtram.

(a) *Lib. 5. de Pontif. Rom. c. 9.*

§. 208.

Ad XV. (§. 158.) Nulla apparet cavillatio, niſi in verbis P. Concinae. Ineptiſſimè quidem iſte probat, præſcriptionem eſſe Juris Gentium: ſi tamen omnia concedamus, nihil planè ejus aſſertis proderunt. (§. 201.) Vocat Profefſores Ingolſtadienſes, per ironiam *ingenioſos homines*. Modico fanè ingenio opus eſt, ut vanæ argutationis vitia in P. Daniele deprehendantur.

§. 209.

Ad XVI. (§. 159.) In Jure Divino, aut Jure Gentium Natales legitimos Præſcriptionis planè non reperit P. Daniel. Jam ex ipſo *Jure Naturali*, omnis alterius Juris fonte, originem ejus deducere conatur: ſed æquè fruſtraneo labore. Dum bonorum diviſionem jure naturali introductam dicit, timendum eſt, ne primos Chriſtianos, & hodiernos Religio-

Bellarminus:

Ex quibus nihil probatur.

Ad XVI. Equè male ex Jure Naturali eruit præſcriptionem:

giosos in communione viventes, violati Juris naturalis arguat. Neque in casu tantummodo *dubii Juris*, neque in circumstantiis solum *voluntatis satis manifestatae*, Præscriptio locum habet. Confunduntur à P. Daniele notiones tum Juris naturalis, tum Præscriptionis. HUGO GROTIUS (a) Præscriptionis vim ex Jure naturali merè fundat in tacita derelictione veri Domini, quæ est mera præsumptio & plerumque pessimè fundata, ut ostendit PUFFENDORFFIUS, (b) quem una cum Grotio allegat P. Daniel, fortè ideò, ut Lectores solidam refutationem Grotii in Puffendorffio reperire possint. Scilicet, prout hic idem auctor (c) advertit, sæpe Juris naturalis esse dicuntur, quæ sunt conformia æquitati Juris naturalis. Sunt igitur aliqua Juri naturali conformia pro bene constituenda civitate particulari, & tamen ista sunt Juris municipalis: item aliqua sunt conformia æquitati naturali universim inter gentes, & tamen non sunt præcepta Juris naturalis, sed Juris Gentium. Præscriptio conformis est quidem æquitati naturali, sed tamen constituta à Jure Gentium, vel Municipali, pro diversis opinionibus Jctorum, nequaquam autem à Jure naturali, nisi fortè *Concessivo*. (§. 120. b.) Sit, quòd Jus naturæ exigat finem litium, & dominia certa: qua autem via id obtineri debeat, Legislatoribus relinquitur, qui Præscriptionem statuerunt potiùs, quàm alium modum ad eundem finem obtinendum. Omnis quidem lex derivatur à lege naturæ: ea tamen, quæ derivantur per modum determinationis, non ex Jure naturali, sed ex sola lege humana vigorem habent. (d) Si verò P. Concina præscriptionem inter vera Juris naturalis præcepta referre velit, fatendum illi est, Justinianum Imperatorem cogitasse de Constitutione contra legem naturalem fancienda, quando dicit, sibi cordi fuisse, nullis temporum metis actiones ad res locorum piorum & Ecclesiarum circumcludi: (e) peccaturùmque Principem contra legem naturalem, qui præscriptionem contra Ecclesiam

fiam

fiam tolleret. P. FRIDERICUS ININGER (f) & P. FRANC. SCHMIER, (g) quos cum Grotio allegat P. Daniel, eisdem cum Grotio principiis de derelictione veri domini insistent, quæ plurimis meritò displicent: hoc autem loco, ne nimium à scopo deviemus, uberiùs refutari non debent. (h)

(a) De Fur. Bell. ac pac. lib. 2. c. 4.

(b) De Fur. nat. & gent. l. 4. c. 12. §. 8.

(c) Lib. 4. c. 4. §. 14.

(d) S. THOM. 1. 2. q. 95. art. 2.

(e) L. 23. C. de SS. Eccles.

(f) De Dominio. disp. 3. q. 2. art. 2.

(g) Jurisprud. Can. lib. 1. tr. 2. c. 2. n. 28. seqq.

(h) Inter innumeros alios vid. P. PLACIDUS BÖCKHN in Appendic. ad Comment. Fur. Canon. p. 1. dissert. 1. art. 3. n. 5. qui certè P. Francisco Schmier non contradicit in favorem Patris Pichler.

§. 210.

Ad XVII. (§. 160.) Juxta P. Danielelem, (a) ipsum *Ad XVII.*
Jus naturale bonorum divisionem introduxit: (§. 159.) Juxta *Et con-*
 P. Concina, (b) *Jure Gentium inventa divisio est. (§. 160.)* *fundit*
 Ignorat P. Concina, quid P. Daniel in priori folio docuerit. *cum posses-*
 Scio, veteres JCTos nomina Juris naturalis & Juris gentium *sione qua-*
 sæpe miscuisse: sed his temporibus, ubi accuratiore *cunque.*
 methodo tam Juri naturali, quam Juri gentium, proprii constituti sunt fines, ii solummodo studiosè inter se miscent omnia, qui liberum cavillandi campum sibi quærunt. Deinde tu ingeniosus JCTus es, Rde Pater! huc tandem redigis vim & effectum præscriptionis, ut aliud inde non obtineatur, nisi quod præscriptio concedit cuivis possessori. Stare Judicem pro possessore in dubio, leges jubent absque ulla præscriptione. Sola sufficit vulgata Juris Regula: *melior est conditio possidentis.* Quid igitur sibi volunt plurimæ leges, quæ ad præscriptionem requirunt certum aliquem titulum,
 P deter-

determinata annorum spatia? Quid sibi volunt illa privilegia, quæ contra hos non nisi 40. contra alios non nisi 60. contra illos non nisi 100. annorum præscriptionem admittunt? Quid sibi vult subtile illud discrimen inter Res præscriptioni obnoxias, aut non præscribibles? inter personas, contra quas præscriptio vel currit, vel dormit? Cur conceditur quibusdam restitutio in integrum contra præscriptionem, aliis negatur? Quid sibi volunt diversi modi, quibus interrumpitur præscriptio, alia non nisi per sententiam, alia per litis contestationem, alia per solam citationem? An tot leges, tot cautelæ aliud non præstant, quàm præstitisset sola possessio, & exinde nata præsumptio? Longè alia & diversa vis esse debet præscriptionis, per quam finiuntur lites, certa reddantur dominia &c. qui effectus non obtinerentur, si solum *in dubio*, & quando verus dominus deprehendi nequit, judicari pro præscribente deberet. Nuper nimium extulit præscriptionem P. Daniel, dum eam ex jure naturali derivabat: (§. 159.) nunc nimium deprimit, dum ei prorsus nihil tribuit, quod non absque præscriptione obtineatur ex præsumptione, quæ nudam possessionem in dubio sequitur. *Quidquàmne futilius* (sit venia phrasi Conciniæ) *obtrudi potest?* Stat igitur ab argumentis Conciniæ inconcussa similitudo inter præscriptionem, & usuram late sumptam. Sicut enim lex facit, ut retentio rei præscriptæ, non sit retentio rei alienæ per legem naturalem prohibita: sic Statutum Principis facit, ut auctarium ultra sortem non sit lucrum ex mutuo, jure naturali prohibitum.

(a) *De usur. contr. trin. fol. 274.*

(b) *Ibid. fol. 277.*

§. 211.

Ad XVIII.
Denique
nescit,

Ad XVIII. (§. 161.) Alio sub aspectu argumentationem dispicit P. Daniel: id est, nullam firmam, nullam solidam, in qua pedem figere possit, responsionem reperit.
Præ-

Præscriptionis originem ex Jure naturali deducit: (§. 159.) *quid dicere velit,*
 Et ab hoc, ad Juris gentium & S. Scripturæ auctoritatem
 confugit: (§. 156. seq.) Et ab hac, totam præscriptionis
 vim ad præsumptionem redigit: (§. 160.) Et ab illa, ad
 poenam convolat: (§. 161.) cum autem neque in hoc mu-
 nimento se tutum fore confidat, nescit denique omnino,
 quid dicere debeat, & alibi se explicaturum promittit. Ubi
 verò? Heus siste bone vir! hic stans delibera, quam præ-
 scriptionis Ideam fingere placeat. Insolens sanè disputatio!
 tot convitiis proscindere comparisonem inter præscriptio-
 nem & usuram latè sumptam; & tamen vel verum igno-
 rare, vel studiosè alium dare conceptum Præscriptionis &
 usuræ latè sumptæ, longissimè sejunctum ab eo, quem au-
 ctor comparisonis ponit. P. Pichler per Præscriptionem
 intelligit remedium Juris, quo dominium rei, cum debitis
 requisitis possessæ, transfertur à priori domino ad moder-
 num possessorem, ita ut iste non teneatur rem restituere,
 etiamsi post completam præscriptionem compareat, quis
 verus fuerit dominus, ac etiamsi nulla vera ejus domini
 culpa intervenerit. Si hunc conceptum velis impugnare,
 Reverende Pater, Juridicam ingredieris arenam, & non
 cum solo P. Pichler, sed cum integro Jurisperitorum ex-
 exercitu manus conferes. Ut autem vis illationis & compa-
 rationis convellatur, ostendi debet, supposito conceptu
 præscriptionis, quem supponit P. Pichler, non posse argu-
 mentum duci ad auctarium occasione mutui exigendum.
 Aliter si arguas, non ad incitas rediges Patrem Pichler; sed
 te ipsum ex defectu solidi argumenti ad incitas, vel ad in-
 eptias redactum commonstras.

§. 212.

Ad XIX. (§. 162.) Falleris R. Pater. Non possum
 fequi Logicæ tuæ Sophisticæ Regulas. Aliter enim, quàm
 tu putas, vel potius putare te fingis, instituenda est argu-
 men-

Ad XIX.

Pessimo

Logica ab-

usu.

mentatio, modo supra indicato. (§. 199.) Si Logicæ inscitiam aliqui exprobrent, boni consulas, rogo; ne in aliud animi vitium fallacia hæc argumenta conjici necesse sit.

§. 213.

*Ad XX.
Principum leges
non solum
per interpretatio-
nem, sed
etiam per
determinationem
à lege naturali de-
rivantur.*

Ad XX. (§. 163.) Jam ex cathedra docet Adversarius; disertum enim Declamatorem esse ajunt. *Discant &c.* Qua nova doctrina scholas Germaniæ beabit P. Daniel? Creatum dominium nihil posse adversus Jus naturale, fatentur omnes; eandem usuram strictè acceptam, quæ lege naturali interdicta est, Principum statuto non evadere licitam, cum omnibus Catholicis, etiam fatetur P. Pichler. *Discant inquam &c.* quid demum reconditi mysterii pandis? In dubiis competere Principibus facultatem interpretandi legem naturalem, non adeò abstrusa doctrina est, quæ P. Danielis magisterium exigat. Suspicio, eum velle, quòd materia, quam Jus Naturæ aliquo modo attingit, nulli alteri potestati Principis, quàm ut legem in dubio interpretetur, relicta sit. Hæc sanè nova, recondita, & in his partibus hucusque inaudita esset doctrina, ex qua non tantum potestas legislativa, sed etiam potestas dispensandi, potestas patris &c. planè concideret. (§. 128. seqq.) Plurima sunt, circa quæ non tantum interpretationis, sed etiam determinationis potestatem Lex naturalis Principibus relinquit. (§. 209.)

§. 214.

*Ad XXI.
Incepta argu-
tatio P.
Concina,*

Ad XXI. (§. 164.) Quid tibi Reverende Pater videtur de hac argutatione, supposita communiore sententia Canonistarum, qui Summo Pontifici facultatem dispensandi in matrimonio rato tribuunt. Ad tuam formam sic arguo. *Dispensatio Pontificis in matrimonio rato, est ratio, vi cujus conjunctio viri cum alia scæmina, alioquin adulterina, evadit matrimonium legitimum: Ne multa: dispensatio Pontificis efficit, ut conjunctio adulterina, licita evadat: imò conjunctio adulterina vi
bujus*

huſus diſpenſationis, eſt matrimonium legitimum. Eadem forma inferre licet, quòd uſura alioquin jure naturali prohibita, ex titulo damni emergentis fiat intereſſe licitum: quòd homicidium injuſtum, vi ſententiæ Judicialis evadat executio Juſtitia: quòd furtum vi conſeſſionis Divinae fiat licitum: quòd perjurium ex diſpenſatione Epilcopi evadat actio licita. Reverende Pater, alius quiſpiam, qui te non probe novit, ignorantiam Logicæ obſciat, me non invito. Verùm tam cralla ignorantia in te non eſt, ut non perſpicias, uſuram ſtrictè acceptam nullo ex titulo evadere poſſe minus ſtrictè acceptam. Nempe auctarium ultra ſortem nonnunquam exigitur præciſè ratione mutui; & tunc eſſet uſura ſtrictè accepta: nonnunquam ex alio titulo; & tunc eſt uſura minus ſtrictè ſumpta, quia non amplius ſumitur præciſè ex mutuo. Sic conjunctio viri cum foemina ligata, eſt conjunctio adulterina; ſuppoſita autem ligaminis per diſpenſationem diſſolutione, eſt matrimonium legitimum, hoc ipſo, quòd non ſit conjunctio cum ligata.

§. 215.

Ad XXII. (§. 165) Qualis ſit ſterilitas, qualis foecunditas pecuniae, alibi notatum eſt. (Diſſ. I. §. 163. ſeqq.) Quæ verò audacia, propoſitio hæc, quòd pecunia, accedente hominis industria, fructificare poſſit, hæreſeos labe aſpergitur à P. Concina, qui ipſe (a) explicat rationem, qua pecunia mutuatitia evadit foecunda: detegit fontes, qui irrigare pecuniam valent, eamque foecundam reddere: eamque dicit doctrinam certiffimam penes omnes Theologos. Quæro ergo: vel triticum eſt ſterile, vel foecundum? ſi dicas, eſſe ſterile; ridebunt te omnes agricolæ. Si dicas, eſſe foecundum; ergo etiam in mutuo triticum pariet fructum, quod utpote uſurarium non concedes. Vide igitur, ineptiffimè fieri argutationes captioſas ex propoſitionibus generalibus, quæ in uno ſenſu poſſunt eſſe veræ, in altero falſæ. Quæris: ſi pecunia foecun-

Ad XXII.
Et incuſatio foecunditatis pecuniae.

cunda sit, non secus ac ager, aut domus; cur vetita est ejus locatio, secus ac agri aut domus? Quæro ego: si ager est foecundus, cur non reddit fructus ex sola locatione? cur non domus ex insperso semine tritici? scilicet sicut *lignum pomiferum facit fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit*: ita res aliæ fructificant juxta conditionem naturæ suæ; ager mediante seminatione, domus mediante obligatione civili, pecunia mediante industria hominis. Argumentum igitur Patris Pichler istud est: Pecunia, accedente industria, magnam utilitatem profert mutuatario: hæc utilitas potest esse occasio, ut suadente id causa publica, velit Princeps mutuatorem participem fieri huius lucri, nequaquam repugnante mutuatario. Et tali ratione pecunia fructifera est mutuatario ex propria industria: & fructifera etiam fit mutuanti ex statuto Principis, in eo scilicet sensu, in quo utilitatem afferre pecunia dicitur ex alio legitimo titulo. Quæ hæresis, quæ erronea paradoxa, quæ portentosa chimæra in hac Doctrina lateant, non dispicio. Ex ovario certè Ingolstadiensi istæ non prodierunt: alibi eas natas esse oportet. (*Diff. I. §. 171.*) Nota mihi est de pecuniæ foecunditate quorundam opinio, cui censuram hæreseos inurere, meum non est. Remotissimus ab illorum opinione est Pater Pichler, qui, ut ex certis rationibus persuasum habeo, auctores illos, ex quibus has notitias, tanquam religiosi sui studii flosculos P. Daniel colligit, fors nec vidit unquam, certè legit nunquam. Si verba captare lubeat, declamari potest in P. Daniele, quòd vir iste S. Thomam Magistrum suum hæreseos, & violati Juris naturalis ac Divini reum faciat. Has enim censuras meretur juxta P. Daniele doctrina, quæ pecuniam, non secus ac domum, foecundam facit, ejusque *locationem*, permittit. Atqui Doctor Angelicus, (b) & cum ipso sani omnes, docent, vendi licitè posse usum pecuniæ concessæ *ad ostentationem, vel ad ponendum loco pignoris*. En locationem pecuniæ

nix

niæ similem prorsus locationi domus, pro pretio! en pecuniam fœcundam non secus ac domum! Imò supra hoc fundamentum, quòd pecunia habeat rationem rei vendibilis, consurgere totam doctrinam cambiorum, notat Cajetanus. (c) Scio, sub qua consideratione accipienda sit pecunia, ut sit materia locationis & venditionis. Ad eum solummodo finem hæc notanda duxi, ut pateat, quàm facile sit, paradoxas inferre conclusiones, & chimæras incautis lectoribus obtrudere; si generalibus phrasibus, absque ulla reflexione ad mentem Auctoris, abuti velimus.

(a) *Comment. fol. 125. 126.*

(b) *2. 2. q. 78. art. 1. ad 6.*

(c) *In Comment. ad loc. cit.*

§. 216.

Ad XXIII. (§. 166.) Cur igitur Prælati Ecclesiastici non dispensat cum tali Principe ad habendas plures uxores, cum tamen ex causis longè levioribus dispenset in voto vel juramento, quorum violatio jure naturali est prohibita? Sæpius jam dictum est, aliquas materias, circa quas versatur lex naturalis, subjectas esse potestati humanæ, alias nequaquam. Inter has ultimas sunt corpora humana in ordine ad actus generationi servientes.

*Ad XXIII.
Aliqua,
non omnes
materia
Juris na-
turalis,
sunt subje-
ctæ Prin-
cipi.*

§. 217.

Ad XXIV. (§. 167.) Ad quas Regulas Critice tua sit exacta, Reverende Pater, quivis non obesæ naris homo facile deprehendet. Perge mi bone, non obstante sententia Pichleri, perge decantare in choro psalmorum textus contra usuram. Est quod omni contentione damnemus, etiam si permittamus sumere 5. pro 100. in iis Provinciis, in quibus talem consuetudinem statuta Principum confirmant. His enim angustis limitibus contineri se non patitur usuraria prævitas.

*Ad XXIV.
Evitatio
litium po-
test ali-
quod, non
omne, au-
ctarium
licitum
reddere:*

vitas. (D. ff. I. §. 197.) an verò tibi persuades, aut persuadere aliis conaris, quaecumque demum auctarium, & in omnibus circumstantiis, ex doctrina Pichleri probari posse à Principe? Restringit ille doctrinam suam ad auctarium *moderatum*, & aliunde non repugnans *charitati erga proximum à Jure naturali ac Divino præceptæ*: & hoc quidem permittendum *ex causa publica in quibusdam circumstantiis*. An permisso tali auctario, locum nullum habeant comminationes adversus usurarios, quilibet facillè perspiciet, qui Ideis Concilianis non delectatur. Sed, inquis, eadem ratio, scilicet *Evitatio litium*, quæ suadet permissionem 5. pro 100. suadet etiam permissionem cujusvis usuræ, ut eo certius evitentur lites circa majores subin summam orituræ. Bellissima sanè argumentatio. Non auditur à Judice, qui se infra dimidium in contractu læsum conqueritur, ne tribunalia obruantur litibus: (a) Non admittuntur nova Instrumenta post causam decisam, ne lis instauretur: (b) usucapio constituta est, ut aliquis litium finis esset: (c) Leges vetant à transactionibus discedi, ne lites resuscitentur. (d) Jam, juxta Regulas Criticæ Conciniæ, ex hac ratione sequeretur, de nulla læsione debere Judicem cognoscere; nunquam ad litem movendam adduci posse instrumenta; omnem qualemcunque, & quantulicunque temporis possessionem sufficere ad acquirendum dominium; ab initio litis partes cogendas esse ad transigendum: tollenda omnia actionum nomina: delenda Prætorum Interdicta absque Albi corrupti crimine: abrogandas perpetuo leges, quæ agendi in judicio facultatem præbent: hac enim ratione nullis litibus perstreperet tribunalia: Legislatores injusti, improvidi, ignorantes fuerunt, tribuendo actiones, dando interdicta. Hæ sequelæ Logicam P. Conciniæ necessariò consequuntur, qui non advertit, laudabile esse studium Principum restringendilites; (e) ineptum esse conatum eas omnino tollendi. Unde leges Imperii, (f) ne prolongentur lites, statuunt, ut Judex absque

absque ulteriori probatione præsumat, post moram debitoris cessare lucrum respondens quantitati 5. pro centum. Pater Pichler autem ob eandem rationem evitandi lites, ulteriùs opinatur, posse simpliciter statui hanc quantitatem à Principe, non respiciendo ad lucrum cessans. Quæ hinc blasphemia per sanæ Logicæ regulas deducitur?

(a) PEREZ in tit. C. de rescind. vendit. n. 5. & alii passim.

(b) C. 20. de sent. & re judic.

(c) L. fin. ff. pro suo.

(d) L. 10. 16. C. de transact.

(e) C. 28. §. Sunt & alii. de Rescript.

(f) Recept. Spirens. ann. 1600. §. 139.

§. 218.

Aptemus ratiocinationem Concinianam alteri materiae *Nes inde infertur DEUM esse improvidum.* Juris Canonici. Ait Concilium Tridentinum (a) gravissimis malis, quæ ex clandestinis conjugiiis ortum habent, succurri non posse, nisi efficacius remedium adhibeatur: hoc autem remedium statuit nullitatem matrimonii in facie Ecclesiæ non contracti. Jam posset quis ex Logica Conciniiana in hunc modum arguere. Vel Christus præcognovit mala ex valore clandestini matrimonii secutura, an eadem ignoravit? Si postremum? ignorantem ergo DEUM constituit Tridentina Synodus. Si primum? aut improvidum fuisse DEUM in constituenda Ecclesia, & instituendo Sacramento matrimonii dicendum est, aut talia matrimonia clandestina jam antea fuisse nulla. Nonne arguta hæc est illatio? sufficienter providit DEUS Ecclesiæ, relinquendo in ea potestatem statuendi ejusmodi remedium pro temporum aut locorum exigentia. Qua facilitate argumentum P. Concinae contra plurimas leges Ecclesiasticas & Civiles applicari potest, eadem dissolvi illud potest in præsentia materia, circa usuras minus strictè sumptas.

(a) Sess. 24. c. 1. de Reform. matrim.

Q

§. 219.

§. 219.

*Ad XXV.
Si ob faci-
litem
obtinendi
mutuum,
conceda-
tur aucta-
rium;*

Ad XXV. (§. 168.) Bilem Concinianam, commoveri facilem, magis agitat altera causa permittendi auctarium ultra sortem; nempe *facilitas obtinendi mutuum*. Censésne Reverende Pater, malè provisum à Deo Reipublicæ humanæ, quòd ob eandem rationem usuras per suas leges non admiserit? abunde providit DEUS, quòd usuras latè sumptas, id est, augmentum ex legitimo titulo exigendum non prohibuerit: dederit autem potestatem Principibus, leges statuendi circa bona subditorum, prout pro diversitate temporum aut locorum, æquitas suaserit.

§. 220.

*Nihil fit
contra le-
ges natu-
rales;*

Ut debilitatem argumenti oppositi palpemus, supponere liceat, contractum à Pupillo vel Minorenni initum, fidejussionem mulieris, ejusque consensum in alienationem prædii dotalis, renuntiationem hæreditatis paternæ à filia factam, aliósque similes actus, spectato solo Jure naturæ esse validos: & tamen isti contractus regulariter per leges positivas sunt irritati, imò, si de rebus immobilibus pupillorum absque decreto Magistratus alienandis agitur, etiam prohibiti. Reverende Pater! merentúrne hæ leges commendari? vide, quid dicas, ne blasphemias, horrenda absurda & hæreses eructes. Laudas, ut puto, leges istas. Jam sic contra te tuis verbis insurgo. DEUS & natura, valorem tribuendo dictis contractibus, oppressit pupillos, mulieres &c. commune rerum publicarum bonum perturbavit, ignorantem se prodidit in publici boni provisione: imò injustitiam maximam irrogavit pupillis, uxoribus &c. imponendo iis obligationem, quam dein Legislatores humani pro bono publico sustulerunt. Absurdis hisce exclamationibus piget solutionem adjicere.

§. 221.

§. 221.

Quod autem de Canonibus, Decretis & Constitutionibus, nulla restrictione facta, contra usuras editis memoras, inane est. Optimo jure semper Ecclesia damnavit, & adhuc damnat usuras *strictè sumptas* absque ulla restrictione: semper tamen in omnibus Canonibus subintelligitur, quod modernus Pontifex expressè dicit, (*Diff. I. §. 7.*) dari legitimos titulos, ex quibus aliquid in mutuo potest exigi. Optimè igitur Principibus, augmentum ultra sortem in certis circumstantiis exigendum concedentibus, convenit cum Jure Naturali, Divino & Ecclesiastico, cum istis Juribus non omne augmentum prohibeatur; Principes autem non omne augmentum permittant, sed illud solummodo, quod æquitati, justitiæ, bono publico, & commodo debitorum convenire videtur: hoc autem concedere, à Jure naturali, Divino, aut Ecclesiastico nullibi est prohibitum.

§. 222.

Ad XXVI. (§. 169.) Ad concitandum affectum *detectionis*, quam in hoc argumento quærit, aptissimè differit P. Daniel. Inveniet fortè Lectores, qui ejus ratiocinium detestentur, & in illud regerant, quod ipse de aliorum ratiocinio asserit, scilicet *ineptius aut flagitiosius excogitari non posse*. Duo dicit P. Concina. Imprimis, si vigeret Christiana charitas, communibus necessitatibus, & proximi indigentibus abundè provisum fore existimat per eleemosynam aut gratuitum mutuum. Quid ais? nōne omnibus necessaria est habitatio? quis inferet, me teneri gratis concedere inhabitandas ædes meas etiam diviti? nōne necessarij sunt panes, aliique cibi? quis condemnabit pistorum, lanionum &c. quod pro pretio vendant panes, carnes? &c. Palpas credo, nos non semper teneri succurrere *gratis* proximo. Suppositum igitur istud, quod vigente charitate omnibus

Ad XXVI. Etiam vigente charitate, non omnibus est gratis provisum.

Q 2.

pro-

proximi indigentis abunde & quidem gratis esset provisum, omnino falsum est; aliàs omnes alii contractus lucrativi essent eliminandi, quia demum ad hoc omnes inventi sunt, ut unus alterius indigentis succurrat. Quis conduceret domum, nisi ea indigeret? quis emeret panes, nisi indigeret? domus tamen locari, panes vendi possunt pro pretio, sine læsione charitatis. Per hoc igitur, quòd vigeat charitas, nondum est gratuito provisum proximi indigentis. Sed, inquis, succurri non debet per contractum jure naturali prohibitum. Largissimè id tibi concedo. Atqui usurae sunt prohibita. Etiam ego id affirmo. Ergo non licet permittere usuras. In hoc quoque assentior. Ergo non potest Statuto Principis permitti aliquod auctarium ultra sortem. Hoc demum nego & pernego. Falsum enim est, quòd tale auctarium sit usura jure naturali prohibita.

§ 223.

Nec violatur justitia concedendo auctarium:

Alterum, quod adstruit P. Concina, est, defectum charitatis non esse sufficientem rationem permittendi auctarium ultra sortem. Accommodemus ratiocinationem P. Danielis alteri argumento. Bona incerta ex delicto, quorum dominus ignoratur, ex communissima Theologorum sententia retineri non possunt, sed distribui debent in pauperes, aut alias causas pias, & hoc quidem non Jure tantum positivo humano, sed etiam Jure naturali præceptivo. Circa hæc bona conceditur à Summis Pontificibus, in quibusdam Provinciis Bulla Compositionis, vi cujus permittuntur possessores, data in usum belli sacri, aut alias pias causas modica quantitate, majorem summam retinere. Rationes, quæ licentiam, honestatèmq; hujus Compositionis ostendunt, nullas affero. Nescio enim, quænam ex illis sit ad gustum P. Danielis. (a) Existimo tamen, eum non improbatum id, quod à plurimis Pontificibus jam factum est. Neque hic loquor de Episcopis, (b) aut secularibus Principibus, (c) quibus nonnulli eandem componen-

ponendi auctoritatem tribuunt. De Bulla Compositionis, quam concedit Pontifex, ex Logica Conciniiana quæri potest; si Justitia, quæ bona ex delicto incerta ad causas pias vult distribui, vigeret, nonne omnia hæc bona ad bonum publicum applicarentur? Nulla tunc compositionis necessitas. At quia avaritia invaluit, quæ restitutionem bonorum alienorum impedit, ideò violanda est lex justitiæ, quæ retentionem illorum prohibet? Nunquid quia tu malus es, retinendo tenaciter aliena, ideò pervertenda sunt naturæ jura, concedendo retentionem majoris summæ, jure naturali prohibitam? &c. Quidquid pro Pontificia Bulla responderi solet, videtur æqualiter accommodari posse pro tuenda Pichleri sententia contra dicteria P. Concinae.

- (a) Vid. DOM. SOTUS de *J. & J. l. 4. q. 7. art. 1. ad 3.*
MOLINA de *J. & J. tr. 2. disp. 748.*
Card. de LUGO de *J. & J. disp. 6. Sect. 12. n. 150.*
HENRIC. à S. IGNATIO *Ethic. amor. tom. 2. lib. 9. c. 152. n. 1472.*
- (b) DIANA *part. 4. tr. 4. resol. 112.*
- (c) FLORENTIUS de COCQ. de *J. & J. tr. 1. c. 7. Sect. 5.* qui Principibus id concedit ob potestatem transferendi bonorum dominia &c.

§. 224.

Ad XXVII. (§. 170.) Declamare incipit P. Daniel contra divites mutuuum sumentes. Sed boni Oratoris partes non implet, quia non loquitur aptè ad persuadendum. Cui enim persuadebit, divites debere supellectilem, fundos, domum vendere pro comparandis pecuniis ad celebranda conjugia? Divites nunquam premi præsentis pecuniæ inopia? Eos, qui ad legationem obeundam fortè se aliquando destinandos credunt, eoque in casu magna sibi auri copia opus fore prævident, jam multis ante hunc eventum annis ad aurea sæcula redire, contentosque cibis nullo cogente creatis, pauperem vitam agere debere, ut pecunias opportuno tempore comparent? De variis classibus mu-

*Ad XXVII.
Sive mu-
tuatarius
sit dives:*

tuatariorum alibi dictum. (*Diff. I. §. 121. seqq.*) Non negamus, æquè vitiosè nonnunquam mutuum sumi, ac foenus exigi: *Sicut fœnerator, sic is, qui mutuum accipit.* (a) Verùm ad casus particulares hoc loco non opus est descendere. Conclusionem generalem ponit P. Pichler, posse Principem concedere auctarium ultra sortem ex causa publica & in certis circumstantiis: hæc plerumque censentur esse, quando mutuarius magnum emolumentum trahit ex mutuo: pro his casibus existimat, posse Principem velle, ut mutuarius, pro mutuo faciliùs impetrando, concedat mutuantanti modicam lucri sui partem. An autem talis mutuarius potuisset prævia sua parsimonia sibi parare pecunias, nihil facit ad rem. Quando majus imponitur pretium frumento, possum utique pro hoc majori pretio etiam illi frumentum vendere, qui potuisset sibi maturius providere. Quòd autem propterea leges DEI non sint violandæ, omnino certum est: negatur autem, eas hac ratione violari. Omnes abusus rerum temporalium nec ipse P. Concina suis ferventissimis Concionibus impedire potest: nec decet, ut propter aliquorum abusum, impediatur commodum aliorum, tali Statuto luculenter promovendum, cùm aliàs multis deesset copia, tam privatam suam, quàm etiam publicam utilitatem promovendi, nisi magnæ summæ dentur mutux, ad quas tamen dandas sæpe nec Charitas, nec Justitia obligat.

(a) ISAL. XXIV. 2.

§. 225.

*Ad
XXVIII.
Sive mer-
gator.*

Ad XXVIII. (§. 171.) Sicut luxuriam divitum, sic fraudes aut avaritia quorundam mercatorum non sunt ad rem istam. Reverende Pater, licetne gratis dare mutuum ejusmodi divitibus aut mercatoribus? Si id licere neges; bene est: jam non agis contra P. Pichler, qui libentissimè concedet, non posse dari ad interesse, ubi ex vitio mutuarii ne quidem licet gratis dare. Si verò non obstantibus ejusmodi abusus,

sibus, fraudibus &c. liceat dare gratis, ergo ista non obstant, quo minus dari possit ad interesse &c. ergo istud argumentum, vel probat nihil, vel probat nimium; quòd scilicet vel non liceat, vel saltem non expediat mutuum dare gratis. Per ea, quæ fusè disputat P. Daniel contra majores Mercatores, fortè etiam Salomoni (vel saltem stolido ejus filio Roboamo) persuasisset, ne naves mitteret in Ophir, sed esset contentus fructibus & mercibus patriis Palæstinæ. Inficetum declamatorum genus!

§. 226.

Ad XXIX. (§. 172.) Quæ supra diximus de Pupillis, uxoribus &c. (§. 220.) eadem huc applicari possunt. Prefiùs loquamur ad hominem. Ponamus, bono publico conducibile videri, ut ædificetur in civitate domus Religiosa, Ecclesia, Xenodochium &c. inquiritur locus aptus: nullibi reperitur: singuli ædium domini negant fundum cedere. Rem suam invito domino vi eripi Jus naturale prohibet: gravissimè peccavit Rex Achab, eripiendo vineam invito Naboth, etiam oblato pretio. Ne concupiscas rem alienam, nec domum &c. Etsi ad causas pias accommodandus sit locus, parum interest; Justitia enim violari non debet etiam pro ædificanda Ecclesia, aut Xenodochio. Soli Turcarum Imperatores vi eripiunt bona invitis subditis. Causam deferamus ad Tribunal P. Danielis Concinæ. Iste enim alti Principum domini naturam & limites optimè callet. Quid Juris, Reverende Pater? benignam obtinemus sententiam. Princeps vi alti domini compellere potest subditum ad demoliendas ædes, ut procuraretur ornatus viarum: (§. 183.) consequenter multo magis ad idem potest compellere, ut procuraretur utilitas animarum, ædificata Ecclesia &c. Quid? callentiórne est P. Daniel eorum, quæ utilitati animorum conducunt, quàm DEUS ipse? curam pauperum Religiosorum, & Ecclesiarum abjecit ergo DEUS, dum

Ad XXIX.
Potest hoc
medio pro-
curari bo-
num Eccle-
siarum:

dum toties jus alienum lædi prohibet? si nolint cives ædes suas cedere, quid tum? nunquid quia illi mali sunt, pervertenda sunt naturæ jura, demoliendo alienas ædes invito domino? Dominium Altissimum subjicit P. Daniel dominio alto: legem naturalem & Divinam subjicit arbitrio Principum &c. Nónne bellæ sunt istæ argutiæ! sunt hæc ipsa P. Danielis argumenta. Dicamus planè, quod res est. Potest Princeps ex causa publica disponere de rebus subditorum: & sic demoliendo ædes, non fit violentia injusta; nec imponendo augmentum ultra sortem, committitur usura &c.

§. 227.

Ad XXX.
Et tranquillitas
conscientia:

Ad XXX. (§. 173.) Dum tranquillitatem animi quærit P. Pichler, turbatur mens P. Danielis adeò, ut *somniare* & *delirare* sibi videatur. Reverende Pater, quando evigilaveris vel ad mentem redieris, percurrere, quæso, omnes formulas, quibus uti solet Sacra Pœnitentiaria Romana in dispensationibus, non tantùm circa leges universales Ecclesiæ, sed etiam circa ea, quæ lege naturali præcipiuntur, uti est Votorum observatio. Ubique reperies verba: *Pro sua conscientia quiete*. Cave, ne recidas in priorem paroxysmum. Quid enim? ratiocinaberis ex regulis Criticæ tuæ: DEUS præcepit observationem votorum: Sacra Pœnitentiaria ab hac obligatione liberat, & quidem *pro conscientia quiete*. Cariórne Majori Pœnitentiario conscientiarum quies, quàm DEO ipsi? vah charitatem inauditam! &c. Facile quis vigilans & non delirans perspicit, quàm ineptæ sint hæc argutiæ, & exclamationes. Non opus est, ut lex Divina singula statuatur, quæ in certis circumstantiis possunt esse utilia pro tranquillitate conscientiarum. Dedit hanc potestatem Principibus tam sacris, quàm profanis: laudandique sunt Principes, si in ferendis legibus suis tranquillitatem animarum respiciant. Videtur autem huic consultum per Statuta, de quibus nunc loquimur. Varii enim sunt tituli, ex qui-

quibus aliquid in mutuo potest ultra sortem exigere; varii sunt contractus, ex quibus ope pecuniæ potest lucrum fieri. Contingere potest, ut sicut in foro externo lites, ita in foro interno dubia & anxietates oriantur, quid possit unus exigere, quid teneatur alter dare. Sicut igitur ad evitandas lites fori externi, (§. 217.) ita etiam ad evitandos scrupulos fori interni, servire possunt ejusmodi leges. Quædam medelam ferunt pro utroque foro simul, uti leges, certum præfigentes annorum numerum ad præscriptionem requisitum. (§. 200.)

§. 228.

Ad XXXI. (§. 174.) Præsumptio, quòd ordinariè datur justus titulus exigendi moderatum auctarium ultra sortem, non impedit, quo minùs frequentissimæ grassentur usuræ. (§. 217. & Diff. I. §. 197.) Possunt igitur ferri leges de permittendo auctario modico in casum boni publici & certarum circumstantiarum: & simul de usuris gravissimè puniendis. Causæ à P. Pichler adductæ solum probant, posse tale statutum fieri, ubi illæ inveniuntur. Imò si hæ rationes, quæ Patri Pichler videbantur congruæ, non judicentur sufficientes; nondum propterea rueret sententia, quòd possit Princeps tale statutum facere ex causa publica, & in certis circumstantiis: hæ autem accuratiùs discutuntur in Principum Conciliis, quàm in Scriptorum Museis.

Ad XXXI.
Usurata-
men cri-
men non
omnino
tolletur.

§. 229.

Ad XXXII. (§. 175.) Facile conceditur, neque Pontificem posse dispensare ad exigendas usuras strictè sumptas, quia hæ utpote *lucrum ex mutuo* de natura sua gratuito, in conceptu suo involvunt injustitiam. Si autem Summus Pontifex extra suum Territorium temporale permetteret auctarium ultra sortem absque prævio Statuto Principis, censeretur approbare *lucrum ex mutuo*, cum alius titulus non interveniret; nam Summus Pontifex non solet de bonis

Ad XXXII.
Papa non
imponit
auctariù
extra
suam Di-
tione[m]

R

tem-

temporalibus subditorum in aliis Territoriis disponere. Princeps autem sanciendo jus circa bona subditorum suorum, disponit ex potestate sibi à DEO concessa.

§. 230.

*Ad
XXXIII.
Potest ta-
men id li-
citum de-
clarare:*

Ad XXXIII. (§. 176.) Quòd possit Papa saltem declarare, usuram approbatam à Principe licitam esse, valde æquivocum est. Si usuras strictè sumptas, quas lex naturalis damnat, intelligas; negamus suppositum, quòd Princeps licitas faciat. Si autem intelligamus qualecunque augmentum ex legitimo titulo perceptum, tunc utique potest Pontifex ex mente P. Pichler declarare, aliis legitimis titulis annumerari etiam Statutum Principis. Censent aliqui, eum hoc sufficienter declarare ipso facto, approbando Montes Pietatis Mixtos. (a) Alii auctoritatem his Statutis conciliare student ex Edicto Moderni Summi Pontificis, quo in debitis subditorum suorum occasione nuperi belli contractis, annuas præstationes reducit & moderatur ad quatuor pro centum. (b) Dein non opus est, ut omnia Statuta Principum confirmentur à Summo Pontifice.

(a) De his loquuntur PASQUALIGUS, POTESTAS, VIVA, supra allegati §. 142. X. plura referentur Sect. seq.

(b) BENEDICTUS XIV. 7. Septembr. 1745. Edicto, quod inferum est Bullario Benedicti XIV. tom. 1. Num. 139. cavit, *Che tutti, e singoli Censi creati, ed' imposti, oppur' anche Cambi, ed' altri debiti fruttiferi, passivamente contratti dal giorno, e tempo, ch' entrarono le Truppe estere dentro i confini del nostro Stato Ecclesiastico. . . . Sieno e s'intendano dal giorno d' oggi in poi creati, imposti, e contratti alla sola ragione di Scudi quattro per cento, e non piu, come Noi in virtù della presente Cedola di Nostro Moto proprio da ora in poi li riduciamo, e moderiamo &c.*

Monet P. CONCINA Comment. fol. 180. Edictum hoc latum esse à Summo Pontifice, uti Principe, pro optimo sui Status politico regimine; minimè ut à Supremo Ecclesia Pastore pro aliquo sive fidei, sive morum puncto declarando. Importunè P. Concina interserit istud

istud encomium. Facile enim aliquis suspicabitur, voluisse eum dicere, contractus usurarios nequaquam esse approbatos à Benedicto XIV. ut Summo Pontifice, licet sint approbati ab eodem uti Principe, pro Status sui politico regimine. Absit ista cogitare; nam Edicta Sapientissimi Pontificis pro politico regimine Status sui lata, optimè respondent ejusdem Edictis pro regimine Ecclesiæ sancitis. Dein etiam nostri Principes suis Edictis non intendunt fidei seu morum quæstiones declarare, sed politicum Status sui Regimen promovere.

§. 231.

Ait P. Daniel, talia Statuta positivè esse reprobata in Oecumenico Concilio Viennensi, (a) & quidem Statuta approbantia usuras moderatas; nam immoderatas nemo, nisi *stultus*, unquam probavit. Videtur dicere P. Daniel, Concilium reprobasse Statuta Prudentum, Sapientum & Proborum: ab istis enim possunt fortè approbari usuræ moderatæ saltem latius dictæ: reliqui, qui immoderatas approbant, *stultorum* numero ex mente P. Concinae sunt accensendi, cum quibus non agit Sacra Synodus Viennensis. Contra *stultos* verò decreta sua condidit Concilium Lugdunense, (b) & alii Pontifices, qui non solum moderatas, sed etiam & præcipuè immoderatas usuras persequuntur: DEUS ipse in Veteri Testamento præprimis contra *stultos* egit, cum damnet usuras mordentes, & opprimentes. Miror, quòd Concilium Viennense contra eos, scilicet patronos usuræ immoderatæ, agere dignatum non sit, quos persecutæ fuerunt Sacræ Scripturæ, & priora Concilia; cum tamen Concilii Viennensis tempore, usuraria pravitas ingentem bonorum & animarum stragem in Italia ediderit. Quidquid de hoc sit, Statuta, quæ Concilium improbat, permittebant usuras strictè sumptas, cum ea *usurariam* approbarent *pravitatem*: hæc autem Statuta, utpote contra Jus naturale & Divinum pugnantia, jure optimo damnantur. Nequaquam autem damnantur Statuta, quæ P. Pich-

*Saltem
non repro-
bat.*

ler fieri posse existimat. Hic enim intelligendus est de *Statutis Principum*, qui supremum in Republica locum obtinent: Concilium autem Viennense damnat *Communicatum Potestates*, (c) *Capitaneos*, *Rectores*, *Consules*, *Judices*, *Consiliarios*, aut alios quosvis *Officiales*, qui Statuta hujusmodi de cætero facere, scribere, vel dictare... præsumpserint. Nulla hic mentio de *Statutis Principum*, sed solum de subordinatis officialibus, & subjectis *Communitatibus*. Consequenter sermo est de *Statutis eorum*, qui tanta potestate non gaudent, ut de bonis subditorum propria auctoritate possint disponere. Unde additur, talia fieri contra *Jura Divina* pariter & *humana*, nempe contra *leges communes Principum*, qui eo tempore fortè non credebant, utile aut necessarium esse, permittere moderatum auctarium ultra sortem. Magis hoc ex eo confirmatur, quòd illi, contra quos Concilium detonat, jubeantur hujusmodi Statuta de *Libris Communitatum* (*si super hoc potestatem habuerint*) delere. An hæc intelligi possunt de *Principibus*, summam in Republica potestatem habentibus? Malè igitur P. Daniel dicit, *Statuta Principum* in Concilio Viennensi condemnari, cum tamen de *Principum* *Statutis* nulla mentio fiat. Libenter fateor, Statuta omnia, à quocunque sint condita, esse nulla, & impia, quibus approbantur usuræ strictè sumptæ. At verò Statuta eorum *Principum*, qui facultatem disponendi de bonis subditorum obtinent, concedendo auctarium ultra sortem, id efficiunt, ut auctarium istud non præcisè *ex mutuo*, sed ex alio legitimo titulo exigatur.

(a) *Clem. un. de usur.*(b) *C. 1. & 2. de usur. in 6.*(c) *Prætor Civitatis in Italia vocatur Podestà.*

§. 232.

Ad XXXIV. (§. 177.) Tandem P. Daniel attingit rei *Principes* difficultatem. Agnoscit juxta *Doctrinam Adversariorum* suo-

suorum, Principes materiam præceptorum sibi subjectam *non appro-*
immutare ratione alti dominii, eaque mutata legem DEI *bant us-*
cessare. Sed nodum hunc, quem solvere non potest, levi *ras strictè*
brachio scindit, dicens, ineptissimas has esse argutationes, *sumptas:*
cùm tamen, ut hætenus ostensum est, eodem argumento
tum ipse P. Concina, tum alii Theologi omnes uti debeant
in plurimis aliis casibus, legibus, dispensationibus, irritatio-
nibus, exceptionibus ritè explicandis. Non terrent, Reve-
rende Pater, insulsissimæ tuæ exclamationes. Prudentissi-
mè, sanctissimèque Concilia, Patres, Pontifices damnarunt
usuras: easdem damnant & puniunt nostri Principes. Non
autem quodlibet lucrum, ex quocunque titulo perceptum,
usuræ damnatæ nomen meretur. Experiamur vim argu-
menti in materia, quæ cum usuris maximam habet affini-
tatem. Si quis in resignatione aut permutatione Beneficii
Ecclesiastici, obligationem solvendi certas pecunias propria
authoritate alteri imponeret, simoniam committeret Jure
naturali & Divino prohibitam. Si verò Summus Pontifex
eamdem pecuniæ summam, nomine pensionis solvendam
imponat, nemo ejusmodi Clericum simoniæ condemna-
bit. Jam liceat ratiocinium P. Concinae adhibere. An igitur
Papa licitam potest facere simoniam? absque licentia
Papæ esset simonia jure naturali & Divino prohibita: facit
igitur licentia Papæ licitum, quod jure naturali & Divino
est prohibitum. Ignoravit ergo Ecclesia in Conciliis gene-
ralibus, ignorarunt Patres, ignorarunt Pontifices omnium
sæculorum hanc potestatem Prælatorum Ecclesiæ, qua si-
monia honestatur? ineptæ ergo sunt omnes SS. Patrum
adversus simoniam quamcunque declamationes &c. Per
summam injustitiam Alexander VII. & Innocentius XI. da-
mnarunt tres adversus simoniam propositiones &c. Æquè
insulsæ, ac istæ, sunt exclamationes P. Danielis. Sicuti an-
nua pensio à Prælato Ecclesiastico constituta non habet ra-
tionem simoniæ, cùm non sit pretium pro re spirituali: sic

etiam moderatum auctarium à Principe concessum non habet rationem usuræ strictè sumptæ, cum non sit lucrum præcisè ex mutuo. Quæ sub Guilielmo Bavariæ Duce circa usuras acta memorat P. Daniel, ultimis his annis à quibusdam Italis magno strepitu contra Germaniæ consuetudinem opponuntur; ab Authore Tractatus *Dell' Impiego del Danaro*, & aliis in dubium trahuntur: genuina autem factorum narratio sequenti Capite hujus *Dissertationis* tradetur.

§. 233.

*Ad XXXV.
Nec eorum
potestas
præfertur
authori-
tati Ec-
clesiæ.*

Ad XXXV. (§. 178.) Alibi insinuatam fuit (*Diff. I.* §. 116. 117.) qua ratione P. Pichler dixerit, & à quibus didicerit, Ecclesiam prohibere non posse, nec velle talia Statuta. Si enim nullum foveatur peccatum, nihil contra fidem, contra bonos mores, contra doctrinam Evangelicam introducatur, non solent Pontifices se Statutis summorum Principum opponere; *Summorum*, inquam, quibus accensentur Principes nostræ Germaniæ, quorum quilibet in suo territorio plenissimam habet potestatem condendi leges, etiam legibus communibus contrarias. Inferiorum Civitatum, Officialium, Consulium &c. Statutis meritò se opponit Ecclesia: & hac ratione promovet subjectionem erga summos Principes, præsertim cum ejusmodi Statuta inferiorum, utpote Jurisdictione destituta, non possint dare legitimum titulum accipiendi aliquid ultra sortem. Totus igitur conatus P. Danielis eo deberet tendere, ut ostendat, tale Statutum esse contra legem naturalem & Divinam, quod tamen non feliciore eventu præstat, ac si quispiam ostendere conaretur, concessionem pensionis Resignanti præstandæ, esse contra legem naturalem ac Divinam.

§. 234.

*Ad
XXXVI.
Quam.*

Ad XXXVI. (§. 179.) Concilium Viennense est intelligendum de omni usura strictè sumpta, seu lucro, quod præ-

præcisè ratione mutui exigitur. Non tamen videtur condemnasse Statuta Principum, quæ moderatum augmentum ultra fortem concesserunt, cum istud augmentum publica autoritate concessum non habeat rationem pravitatis usurariæ. Damnavit igitur solummodo Statuta inferiorum, quæ sive moderatum, sive immoderatum auctarium approbent, iniqua sunt; quia tales inferiores non habent summam in Republica potestatem, consequenter nihil possunt de bonis subditorum statuere contra leges Summorum Principum. (§. 231.)

ritò damnat omnē usuram strictè sumptam.

§. 235.

Sapius hoc convitium conjicitur in P. Pichler, quòd foedus inierit cum hæreticis, quòd doceat cum Hæreticis &c. Provoco Lectores omnes, qui Libros Patris Pichler, & Patris Concinae ad manus habent, ut sincerè judicent, quis ex illis duobus arctius cum A catholicis foedus ineat. Neuter, credo, hujus perfidiæ reus est. Id tamen verum est, A catholicorum libros studiosissimè legisse P. Danièlem, in eum, quod videtur, finem, ut impugnet Scriptores Catholicos. Modò extollit eorum elegantiam, modò laudat consequentiam doctrinæ: eorumque damnatas doctrinas non ob aliud recenset, quàm ut sophisticis illationibus falsissimè concludat, Ingolstadienses sentire cum ipsis. Quos Pacis Articulos inierit P. Pichler cum A catholicis, legere licet in solidissimis ejus Opusculis Polemicis. Academia autem Ingolstadiensis, quæ se hucusque fortissimum contra errores propugnaculum semper probavit, hæreseos calumniam, sibi ab insolente calamo impactam, non alia ratione fortiùs, quàm contemptu repellit.

Nihil commune habent Ingolstadienses cum Hæreticis.

§. 236.

Ad XXXVII. (§. 180.) Miserrima argumentatio P. Danielis ex verbis S. Augustini sic concludit. S. Augustinus

Ad XXXVII.P. Daniel

*malè uti-
tur verbis
S. Augu-
stini.*

stinus malè possideri dicit usuras, quas leges prohibent: ergo injustè possidentur usuræ, quas leges permittunt. Elegans specimen Logicæ Sophisticæ! plura alibi sunt prodita. (§. 203. seqq.) S. Augustinus loquitur *de usuris, quas ipse etiam leges, & Judices REDDI* (id est à foeneratore restitui) jubent; scilicet de usuris, quas leges prohibent: Leges enim & Judices *reddi*, id est, restitui non jubent usuras, quas permittunt. P. Daniel autem perfunctorio oculo verba Augustini (a) intuitus, credit, seu credere se fingit, sermonem esse de usuris, quas Leges & Judices à mutuuario *solvi acpendi* jubent. Operæ pretium est, ut occasionem, qua hæc scripsit S. Augustinus, breviter expendamus. Vetus mos erat in Ecclesia, ut Episcopi & Clerici intercederent pro reis incarceratis apud Judices profanos: (b) Idem fecit Augustinus apud Macedonium Africae Vicarium, (c) qui intercessioni quidem cessit, satis tamen acutè rescripsit: *Officium Sacerdotii vestri esse dicitis, intervenire pro reis, & nisi obtineatis, offendi, quasi quod erat officii vestri, minimè reportetis. Hic ego vehementer ambigo, utrum istud ex Religione descendat. . .* Dein infra: *Pro his quoque interveniendum putat Sacerdotium vestrum, de quibus adeò futuri nulla spes est, ut etiam in presenti eadem criminis ratio perseveret. Nam qui tam pervicaciter tenet, propter quæ crimen admisit, ostendit se, ubi licentia fuerit, similia peccaturum. . .* (d) His ultimis verbis Macedonius designat eos, qui injustè acquisita non restituant. Ad utrumque Epistolæ Articulum doctissimè respondet S. Augustinus, primum quidem de Reis mortis, quibus vitæ veniam postulabant Episcopi: dein de Reis restitutionis faciendæ, quorum liberationem à carcere iidem Episcopi nonnunquam flagitabant. Fatetur S. Doctor, *eum, qui pro homine ad hoc intervenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honestè potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis.* Ait tamen, ejusmodi homines sæpe *vel negando se abstulisse, vel affirmando se unde restituant, non habere,*

habere, Episcopos inducere ad se protegendos: saepe etiam falli Judices, putando, vel Episcopos non agere ut reddant, vel debitores habere unde reddant. Insinuat dein Augustinus, frequentissimam esse occasionem exercendae Justitiae in urgenda restitutione etiam optantibus Episcopis, modò Judices officio suo velint fungi: adducit Judices & testes vendentes iudicium aut testimonium; advocatos malam causam pro pretio defendentes; addit usuras, *quas etiam ipse leges & iudices reddi jubent: concludit demum: haec atque ejusmodi male utique possidentur, & vellem restituerentur; sed non est quo iudice repetantur.* Loquitur, ut patet, S. Doctor de legibus usuras prohibentibus, & acceptarum restitutionem imperantibus: quales eo tempore erant Leges Constantini M. & Valentiniani, quibus vetantur usurae centesimam majores, & qui plus exegisset, *quadrupli poena & obligatione constrictus, sine cessatione, sive requie protinus ablata redhibere jubetur.* (e) Fateor, omnem, etiam moderatam, usuram strictè dictam ab Augustino alibi damnari: (*Diff. 1. §. 93.*) mirari tamen lubet insignem animi praesidentiam, qua P. Daniel, sententiam S. Augustini malè intellectam, audacissimè nominat Imperatorem, ejusque designat legem, in quam invehi S. Doctor fingitur, qui nec de Arcadio, nec de ejus lege, nec universim de legibus usuram moderatam permittentibus, vel minimum verbulum eo loco inserit; sed potius mentionem facit legum usuras immoderatas prohibentium. Laudat S. Doctor Leges, optatque ut Judices eas exequantur: invektivam tamen contra leges in iis verbis deprehendit P. Daniel, qui fidem suam suspectam reddit, simulque injuriam infert S. Augustino, gravissimas ejus sententias perversè allegando. Venenatam oportet esse manum, quae pulcherrimos flores non carpit, quin inficiat.

(a) Fortè non ex iplo fonte, sed ex Decreto Gratiani C. II, XLV. q. 4.

S

(b)

(b) Eruditè de hac re scribit THOMASSINUS *de nov. & vet. Eccl. discipl. P. 2. L. 3. c. 95. seqq.*

(c) Hoc officium gessisse Macedonium, affirmat POSSIDIUS *in vita S. Augustini c. 20.*

(d) *Epist. 152. aliàs 53.*

(e) *Cod. Theodos. lib. 2. tit. 33. leg. 1. & 2.*

§. 237.

Ad
XXXVIII.
Et pejùs
abutitur
verbis
Tertullia-
ni.

Ad XXXVIII. (§. 181.) Nihil quod *de gaudiis & fructibus hujus sæculi amitteret*, habuit Pater Pichler. Scripsit pro candore suo apertè, quod sentiebat in animo: cùmque communissimam auctoritatem obstare sibi videret, modestissimè opinionem suam, quam Doctissimi Salisburgenses jam antea docuerant, ex adductis rationibus tanquam sibi *probabilem* proponit, relinquens cuivis meliùs sentiendi libertatem. Si autem P. Concina verbis Tertulliani abutitur contra P. Pichler; liceat & nobis meliore jure huic præsentì defensionì cum Tertulliano nomen inscribere *Scorpiacum adversus . . .* Speramus cum eodem, venena adversis scriptis passim affusa, *nulli infirmorum facillè nocitura, si quis hanc nostram, ex sanæ rationis principiis dilutam, præbiberit, vel etiam superbiberit potionem.* (a)

(a) TERTULLIANUS *Scorpiac. adversus Gnosticos in fin.*

§. 238.

Art. 5.
JUDICIUM
DERECEN-
SITA OPI-
NIONE.

Hucusque Discipulus Patris Pichler, famam & doctrinam sui Magistri propugnavit. Quibus visis, mox incusavi prolixitatem, huic scriptionum generi nequaquam accommodam. Ille laudem potiùs à brevitate se meritum ratus, digitum intendit in Commentarium Concinianum fol. 191. ubi hæc verba lego: *nunquam esset disputandi finis, si vellem garruli vitiligatoris ineptias quaslibet novis animadversionibus castigare.* Quærenti mihi, an lenitatis semper memor fuerit, respondit, si P. Daniel se tangi sentiat, rosa-
rum

rum basia videri debere præ spinarum aculeis, quibus ille confixerat Pichlerum. Perpensis igitur Argumentis P. Concinæ, & Responsionibus Discipuli Pichleriani, quorum utrumque pro meritis æstimo, sincerè & absque partium studio, sensum & mentem meam de iis aperiam, *duplici Asserto.*

§. 239.

Assertum I. Argumenta Conciniana fere omnia inniuntur falso supposito, quòd juxta P. Pichler Principes possint concedere & approbare id, quod Jure naturali & Divino est prohibitum. Cùm hæc suppositio sit falsissima, necessariò etiam corruunt argumenta illi innixa. Nam obligatio ad 5. aureos non est contra Jus naturale, sed solum obligatio ortum trahens merè ex mutuo. Principes autem imponunt obligationem ad 5. aureos; qui proin præstandi sunt non præcisè ex mutuo, sed ex statuto Principis. Ludit igitur P. Concina continuò in voce *usura*, acsi idem prorsus esset exigere 5. aureos, & committere usuram. Attendendum nempe est, ex quo titulo hi 5. aurei exigantur: si præcisè ratione mutui; tunc utique usura strictè dicta est: si verò ex alio titulo, tunc vel omnino usura dici non potest, vel solummodo cum addito usura minùs strictè dicta. Censeo igitur Discipulum Patris Pichler plenè satisfecisse argumentis Concinianis, quæ ex Ideis sinistris profluxisse videntur. An verò animum his Ideis turbatum, pacaverit Discipulus Pichlerianus, planè ignoro. Ego certè non audeo cum Jonatha pro P. Pichler loqui ad P. Danielelem, ne idem, quod Jonathæ, etiam mihi contingat, quem pro Davide loquentem ut percuteret, arripuit Saul iratus lanceam, Davidis cædi destinatam. Talem ictum ut à me avertam, fœdus inibo cum P. Daniele, & impugnabo doctrinam P. Pichler, armis tamen modestioribus. Unde pono

Argumenta Conciniana nihil probant.

§. 240.

*Assertur
tamen,
non dari
statutum*

Assertum II. Statutum Principis in nostra Germania hoc tempore non videtur admittendum, tanquam titulus legitimus exigendi aliquod emolumentum ultra sortem in mutuo. Ut rationem hujus Asserti dilucidè tradam, duo videntur ostendenda. 1^{mò} nulla lege universalis in Imperio Germanico approbari, vel determinari auctarium ultra sortem in mutuo exigendum, nisi intercedat alius legitimus titulus damni emergentis, lucri cessantis &c. 2^{dò} Convenienter Principes Imperii abstinuissent à ferenda tali lege.

§. 241.

*Permit-
tens au-
ctarium
in mutuo.*

Putat P. Pichler, de facto existere in Imperio Germanico statutum permittens usuras quincunces. Idem cum illo sentiunt non tantum Doctores & Jcti privati, sed integra Dicasteria Germaniæ. Mihi hucusque sors bona non obtigit reperiendi ejusmodi statutum. Labet rem altius scrutari.

§. 242.

*Contra-
ctus Cen-
sualis usi-
tatus in
Germania,*

Ex chartis vetustis, quas temporum injuriæ nobis reliquas fecerunt, patet, usitatissimum apud Germanos veteres fuisse contractum *Censualem*, & quidem simplicissimè conceptum absque scrupulosa distinctione formularum, aut verborum. Invenimus enim eandem rem *donatam* & *venditam*, *datam* & *locatam* &c. Rem ipsam respexerunt Germani, non subtiles verborum formulas, vel contractuum distinctiones. Unus volebat acquirere pecunias, sibi que proficuum credebat, si annuam quandam pensionem alteri concederet vel pecuniæ, vel fructuum: quoniam autem contractu id fieret, minimè attendebant. Observatur passim, apud Majores nostros *Emptionem* habitam fuisse pro generalissimo contractu; & omnia fere negotia sub voce *emere*, fuisse expressa.

§. 243.

§. 243.

Sæculo XV. Episcopi quidam, negotiorum, quæ apud alias nationes gerebantur, notitia præditi, verebantur, ne sub his contractibus usura lateret, quæ illo tempore plurimas Italiæ urbes miserè deprædabatur. (a) Rem igitur omnem deferunt ad Martinum V. & Callixtum III. summos Pontifices, qui pro Germaniæ consuetudine stabant. (b)

*Approbat-
tus à Pon-
tificibus:*

(a) Hoc apparebit ex dicendis *scēt. seq.*

(b) *Extrav. 1. & 2. inter comm. de Empt. & Vendit.*

§. 244.

Sub Maximiliano I. Imperatore, quando ad initium sæculi XVI. erigebatur Tribunal Camerae Imperialis, major, quàm antea, notitia & auctoritas Juris Romani tam Cæsarei, quàm Pontificii in Germania vigere cæpit. Cùm igitur illo tempore contractus in Germania usitati, ad Leges Romanas utriusque Juris examinarentur, credebant aliqui, contractum *Mutui* in illis latere, & emolumentum, quod exinde creditori adveniebat, esse usurarium, consequenter ex præscripto Juris Canonici, reprobandum. Deprehendebant enim, non omnes eas circumstantias passim observari, quæ reperiuntur in contractibus, quos Martinus V. & Callixtus III. licitos pronuntiaverant. Deprehendebantur simul varii contractus, apertè usurarii, quos non Judæi solùm, sed etiam nonnulli Christiani cum magna subditorum pernicie celebrabant. Unde omnia tutimèntes, non satis discernebant inter contractus usurarios & licitos.

*In suspicio-
nem voca-
tur,*

§. 245.

Certum quidem erat omnibus, contractus *Censuum re-* *Ob exces-*
dimibilium esse usitados, & licitos: multi tamen excede- *sum pre-*
bant in quantitate horum Censuum. Antiquioribus enim *tii,*

S 3

tem-

temporibus, cùm magna esset Nummorum raritas in Germania, valde graves exigebantur census annui frumentarii pro summa pecuniaria. Postquam autem copia argenti & auri, ope fodinarum metalli, & thesaurorum Americanorum, in Germania creverat; volebant nihilominus aliqui æquè graves, ut antea, census stipulari. Hinc anno 1500. (a) statuebatur, ut omnes contractus usurarii, & damnati, habeantur ubique pro nullis &c. simulque Regimento, quod tunc vocabant, Imperii recens erecto imponebatur cura, ut contractui *Censuum redimibilium* certa forma & limites ponerentur.

(a) *In comitiis Augustanis tit. 31.*

§. 246.

*Et alias
injusti-
tias,*

Ut hæc constitutio executioni daretur, post annos triginta (a) recensiti sunt contractus aliqui, qui & quorum similes judicandi essent pro usurariis, scilicet mutuum vel palliatum, vel apertum cum excessu lucri notabili, annuo censu majore quàm 20. pro 100. vel majore quàm 5. pro 100. adjecto simul incremento ipsius sortis, tempore retrovenditionis solvendo &c. Determinata igitur fuit quantitas *Censuum redimibilium* ad 5. pro 100. ita ut pro usura prohibita judicandum sit, si quid ultra exigatur, aut recipiatur.

(a) *in Reformat. Polit. Augustæ 1530. tit. 26. Eadem confirmantur generalibus verbis in Comitiis Ratisbonens. anno 1532. tit. 8. & ann. 1541. §. 76. Eadem fere integris verbis repetuntur in Reform. Polit. Augustæ 1543. tit. 17. ubi §. 8. statuitur, ut Censuum redemptio sit solum penes venditorem, non autem penes emptorem.*

§. 247.

*Abstra-
bendo à*

Hucusque nihil specialiter constitutum in Imperio fuit de contractu *mutui* cum moderato interesse, præter ea, quæ

quæ in Corpore Juris Romani continentur. Capitularia enim Carolingorum in plerisque Germaniæ Provinciis ad septentrionem tendentibus parum erant cognita, vel omnino neglecta, forma Regiminis post extinctam Familiam Caroli M. penitus immutata. Recentiores Imperii Constitutiones agebant solummodo contra excessiva lucra, plerumque sub nomine aut pallio Emptionis exacta.

§. 248.

Disputabatur tamen passim inter doctos, in privatis & publicis congressibus, ferventer de mutuo, de usuris, de interesse. (*Diff. 1. §. 100. lit. 1.*) Non deerant enim, qui constitutiones Imperii ita interpretarentur, ut quaecunque lucrum in contractu mutui censerent per eas esse prohibitum. Cùm igitur in Comitibus Spirensibus (a) juberentur Camera Imperialis Judex & Assessores circa contractus usurarios in sententiis ferendis inhærere decisionibus Imperii, quin eas in ulteriorem deliberationem traherent; hinc Justitiæ Zelo quidam animati, querelas coram Imperatore movebant contra Marquardum Episcopum Spirensis, Camera Spirensis tunc Judicem, ejusque Tribunalis Assessores, quòd in sententiis suis usuræ non condemnarent, nec ad restitutionem adigerent eos, qui 5. pro 100. exigebant in mutuo. Episcopus autem & Assessores, facti sui rationem dederunt separatis literis, destinatis ad Principes, Principumque Legatos Francofurti congregatos anno 1577. Episcopus quidem scribit, lucrum moderatum ex mutuo, quale esset pensio 5. pro 100. ubique usitata, hucusque in Imperio publicis legibus non fuisse damnatum; etsi istud Juri Ecclesiastico nonnihil repugnare videatur, novum tamen non esse, nec insolitum in Imperio Germanicæ Nationis, quòd ex gravibus & legitimis causis aliquid contra Ecclesiastica Jura statuatur &c. Censet dein, negotiationes, quæ sine hujusmodi contractibus consist-

*Quod licet
tum cense-
bat Came-
ra Impe-
rialis.*

fistere nequeunt, planè perituras, si aliud statueretur. Concludit demum, multos viros doctos sentire, hujusmodi contractus Juri Divino, in quo alioquin Jura Pontificia se fundant, nequaquam repugnare, sed illi potiùs conformia esse, cùm in similibus casibus nihil fiat contra charitatem proximi, sed potiùs agatur ex mutua charitate &c. Ad has literas respondebant Principes & Legati ad Conventum Francofurtensem deputati, sibi minimè licere, in causis sibi non commendatis, nova decreta condere, idè se cogi hujusmodi consultatione supersedere, & Judicem Camerae cum Assessoribus in hac re ad plenum Imperii Conventum rejicere, hac tamen ratione, ut tanquam Jurisperiti, interea in suis Processibus & causarum cognitionibus sese Imperii Recessibus & Constitutionibus conformiter gererent &c. (b) Ex hac ratione circa istam materiam aliud Francofurti effectum non fuit, quàm ut iisdem verbis (c) repeterentur, quæ antea Augustæ decreta fuerant. (§. 246. lit. a.)

(a) Anno 1570. §. 83.

(b) Literas Episcopi Spirensis & Assessorum, præter alios, refert COTHMANNUS Vol. 2. Cons. 52. n. 88. & JOAN. GOTFRIDUS de MEJERN von der Rechtmäßigkeit des sechsten Zinses Thalers §. 35. & in Adjunctis N. 1. Neuter videtur scivisse occasionem scribendi has literas, neque annum aut diem, qui est 16. Septembr. 1577. neque Responsum Deputatorum. Hæc autem didici ex MSSis Documentis, eo ipso tempore, quo hæc controversiæ agitabantur, collectis.

(c) Tit. 17.

§. 249.

*Demum
concessa
quincun-
ces post
morans*

Plura dein acta sunt *ratione mutui & interesse* in Deputatione Wormatiensi, anno 1586. sed quæ ibi conclusa fuerant, nunquam publicata sunt ob quorundam contradictiones tum circa hunc ipsum, tum circa alios quosdam arti-

§. 251.

*Eadem
quincun-
ces con-
cesse*

Juxta tenorem hujus articuli, Consilia utriusque supremi Judicii fuerunt petita, & communicata Deputatis in Comitibus Ratisbonensibus anno 1654. De horum opinione & sententia consultatum fuit in singulis Comitiorum Collegiis, tandemque præter plura alia solutionem debitorum concernentia, statutum, (a) ut futuri census & interesse, sive ex contractu censuum redimibilibus, sive ex contractu mutui orientur, *juxta tenorem Constitutionum Imperii*, solvantur non in majore quantitate, quam 5. pro 100. in singulos annos.

(a) §. 174.

§. 252.

*Male di-
cuntur
universim
licita.*

Ex hac Constitutione passim colligebatur, etiam in Contractu mutui licere stipulari quinque pro centum ex Legibus Imperii, non tamen ultra hanc summam. Verum neutrum ex ista Constitutione legitimè deduci, melius statuunt alii. Unde juxta illos, qui usuras & lucrum ex mutuo licitum putant, (a) licet adhuc hodie stipulari 6. pro 100. non obstante dicta Constitutione, solummodo loquente de debitoribus, qui calamitate belli tricennalis, fortunis lapsi essent. Neque vicissim hoc loco universim statuitur, quòd liceat immediatè *ex mutuo* accipere lucrum: sed solummodo adjudicantur 5. pro 100. etiam occasione mutui, supposito scilicet, quòd habeant justum titulum, alias in Imperio approbatum, exigendi aliquid ultra sortem, fere sicuti modernus Summus Pontifex edicto suo reduxit usuras ad 4. pro 100. circa debita, tempore nuperi belli contracta. (§. 230.) Unde in allegatis Comitibus Ratisbonensibus, (§. 251.) additur, solvendas esse quincunces, *juxta tenorem Constitutionum Imperii*: hæ autem alias usuras non admittunt, nisi solum quod interest post moram ex præsumptione damni emergentis, vel lucri cessantis. (§. 249.)
Verum

Verum quidem est, quòd neque Deputati ad hoc negotium, neque Principes, dum mentem suam explicarunt Imperatori, formulæ à se conceptæ, cui conforme est Decretum Cæsareum, inseruerint verba *juxta tenorem Constitutionum Imperii*. Nihilominus non temerè verba ista Decreto adjecta existimo. Cùm enim nunquam antea lucrum *precisè ratione mutui* fuerit in aliis Comitibus admissum, hoc autem loco expressè mentio de *Mutuo* fiat; haud dubiè ii, qui concinnabant Recessum Imperii, verbis istis cautum volebant, ne quis fortè crederet, tale lucrum immediatè ex mutuo proveniens, approbari publica lege Imperii, quod hactenus semper refugerunt Principes Germaniæ. Addita igitur hæc verba: *juxta tenorem Constitutionum Imperii*, clarè ostendunt, in mutuo non aliud approbari, quàm quod debetur post moram ex præsumptione lucri cessantis, vel damni emergentis, prout antiquiores Imperii Constitutiones admittebant. Concludo igitur, nulla lege universali in Imperio Germanico approbari, vel determinari auctarium ultra sortem in mutuo exigendum, nisi intercedat alius legitimus titulus damni emergentis, lucri cessantis. &c.

(a) GOTFRID. de MEJERN *cit. loc. (§. 248. b.)*

§. 253.

Ostendendum restat (§. 240.) convenienter Principes Imperii abstinuisse à ferenda tali lege, qua probaretur auctarium ultra sortem absque ullo alio passim admissio titulo. Nam vix potest concipi, quid ex iis, in quæ solent Leges tendere, intendatur per tale statutum. Principes enim per leges suas universales non solent obligare ad aliquid præstandum alteri merè ratione sui Statuti, sed ordinant vel contractum, vel aliud quoddam medium aptum, per quod incurratur talis obligatio ex Justitia commutativa, ex qua non stringit sola Lex Principis. Sic Leges jubent, ut pretium, mercis emptæ dem venditori: debeo igitur istud pretium,

Nam Principes Germaniæ

non ex Legibus, sed ex contractu emptionis per Leges confirmato & regulato. Leges eum hæredem agnoscunt, & hæreditatem adjudicant illi, quem testator in legitimis tabulis scripserit: si tamen castigatè loqui velimus, hæreditatem iste non obtinet ex legibus, sed ex testamento legibus firmato, & roborato. Præscriptionem admittunt leges, ex qua non vanum pro Statuto Principis ducitur argumentum: sed Leges istæ domini transferendi vires tribuunt alicui causæ, scilicet longæ possessioni bonæ fidei, quæ licet ex sua natura vim istam non habeat, aptissima tamen, & planè digna est, cui iste effectus transferendi domini attribuat: consequenter præscribens acquirit dominium non immediatè ex legibus, sed ex possessione legibus firmata, & inter modos acquirendi domini relata.

§. 254.

*Prudenter
abstine-
runt ab iis
approban-
dis:*

Fateor, posse contingere, & sæpe defacto contingere, ut ex solo jussu Principis, jus alteri auferatur, modò id bonum publicum exigit. Sic pro munienda contra hostes urbe destruuntur horti, vicinæ ædes &c. Pro ornatu viarum juxta P. Concina (§. 183.) possunt destrui domus: Dux victor concedit militibus spolia devictorum hostium absque ullo intermedio contractu &c. Ista tamen *non solent* communiter fieri: neque ut fiant regulariter, bonum commune exigit; cum plerumque violentia aliqua misceatur. Si igitur ratio boni publici postulet, ut quinque pro centum dentur, fieri id convenit, non ex solo Principis jussu ac beneplacito, sed per aliud proportionatum medium, scilicet per aliquem contractum, beneplacito Principis confirmatum, ita ut illi quinque aurei non dentur immediatè ex Statuto Principis, quod fortè Justitiam Legalem posset invehere; sed ex contractu per Principem stabilito, unde oriatur Justitia commutativa. Omnes autem Catholici admittunt, Statutum Principis non concedere, ut liceat auctarium

Statutum exigere præcisè ratione mutui, & propter usum pecuniæ mutuatae, cum tali modo permetteretur usura strictè dicta, à qua abhorrent Catholici Principes. Debet igitur statutum Principis habere aliud objectum, ex quo, annuente Principe, proveniat jus ad exigendum emolumentum, ne videatur pro objecto habere solum lucrum ex mutuo. Transmittitur igitur, auctoritate Principis posse dominium rei temporalis ab uno subdito in alterum transferri: fieri id tamen debet medio quodam proportionato, quale *non potest* esse Mutuum; *nec solet* esse solum Statutum Principis.

§. 255.

Eadem est ratio de Consuetudine. Hæc enim sicut habet vires legis; ita etiam habere debet bonæ & rationabilis legis qualitates. Durum igitur dictum est, auctarium ultra sortem exigi merè ex consuetudine, nisi ostendatur medium acquirendo huic Juri aptum, quod approbetur usu & consensu populi. Quis enim sibi persuadeat, consuetudine esse introductum, ut annum emolumentum præstetur absque ullo titulo: titulus autem mutuationis, aut concessi usus pecuniæ non est ejus conditionis, ut possit assumi tanquam medium aptum ad tribuendum jus exigendi annum fructum, & quidem ex Justitia commutativa, quam non fundat sola consuetudo: consequenter ostendi debet Justitiæ & Charitatis legibus conformis contractus, consuetudine & consensu populi approbatus, qui præbeat Jus aliquid exigendi ultra sortem, ea fere ratione, qua introductum est Cambium, aliisque similes contractus lucrativi, de quibus agetur *Cap. seq.*

Quas neque consuetudo universim approbat.

§. 256.

Ex his omnibus deducitur, neminem indignaturum P. Danieli, quòd rejiciat titulum à P. Pichler assignatum, nempe Statutum Principis, aut Consuetudinem, quem Titulum nec ego, nec plerique alii Professores Universitatis

Hinc potest impugnari P. Pichler, sed pessimo

modo impug-
natur
à P. Da-
niele.

Ingolstadiensis agnoscimus: omnes tamen indignabuntur; quòd id præstiterit sophisticis illationibus, hyperbolicis exaggerationibus, falsis imputationibus, aliisque Theologorum dignis argumentis.

SECTIO VI.

De Montibus Pietatis.

§. 257.

De Titulo
aliquid
exigendi
in Monti-
bus Pie-
tatis

IN plerisque Montibus Pietatis exigi aliquid ultra mutuam sortem, omnibus notum est. Cùm autem hi Montes Summa Pontificum Romanorum, & Principum auctoritate erecti, ab universalibus etiam Ecclesiæ Synodis laudati sint, eorum justitiam in dubium vocare non licet. Igitur nequaquam examinandum sumo, an *Titulus* justus ibi occurrat: sed solum inquirò, quisnam sit ille *Titulus*, qui augmentum ultra sortem, in mutuo dandum, ab usura excuset. Nonnihil fusiùs excurrendum videtur, tum ut natura horum Montium etiam in his Provinciis, in quibus pauciores erecti sunt, intimiùs perspiciatur, & divitum quorundam Pietas ad promovendum hoc laudabile Institutum excite- tur: tum etiam quia ex his Montibus, summa Ecclesiæ auctoritate comprobatis, firmiter judicium ferri potest de quibusdam aliis contractibus, quorum æquitas in dubium vocatur; tum denique ut sincerior notitia de piissimo hoc instituto opponatur ineptis libellis Acatholicorum hac de re editis. (a)

(a) Chorum ducit DOROTHEUS ASCIANUS, vero nomine, MATHIAS ZIMMERMAN Hungarus exul, & Superintendens Misnensis, qui libro suo titulum dedit: *Montes Pietatis Romanenses historicè, Canonice, Theologicè detecti.*

§. 258.

§. 258.

Commodus dicendorum ordo, quantum res patietur, servabitur, tota materia in quinque Articulos distincta. *Dicendorum ordo.*
Primus continebit Generales Notitias de Montibus Pietatis. *Secundus* deteget eorundem originem. *Tertius* recenset hujus Instituti progressum. *Quartus* referet quorundam Auctorum observationes pro ejusmodi Montibus in Germania fors erigendis non inutiles.

§. 259.

Montes appellamus quandam pecuniæ, tritici, farinae, aliarumve rerum ejusmodi cumulum, ex eleemosynis, aut aliunde collectum, ut vel pauperibus, vel publicis necessitatibus consulatur. Illi Montes, qui ex primæva sua institutione ad pauperum necessitates per mutuam sublevandas destinati sunt, propriam sibi faciunt appellationem *Montium Pietatis*. Qui ad alios fines intenduntur, alia plerumque nomina obtinent.

Art. I.
 GENERALES NOTITIÆ DE MONTIBUS PIETATIS.
 Definitio Montium

§. 260.

Mons igitur Pietatis est *summa quædam pecuniæ* (seu aliarum rerum usu consumptibilium) *in pauperum opem collata, ut istis sub pignore credatur.* *Pietatis:*

§. 261.

Montis nomen valde aptum videtur ad denotandos ejusmodi congestos pecuniarum, seu frumenti acervos, cum apud Linguae Latinæ Principes passim *Montes* ad quarumlibet rerum affluentem copiam transferantur; & tam in Teutonica, quam Latina Lingua, vulgari proverbio *aurei Montes* jaçtentur. (a) *Pietatis* nomen merito tribuit sanctissimus, qui intenditur finis, levamen scilicet indigentium. *Etimologia:*

(a) vid. ERASM. *adag. aureos montes polliceri. Et: Montes frumenti.*

§. 262.

§. 262.

Ufus no-
minis an-
tiquus.

Unde jam sæculo post Christum quarto pecunias in usum pauperum à fidelibus collatas, quas Ethnicorum persuasio vero copiosiores fingebat, Montis nomine indigitari posse, credit PRUDENTIUS, (a) dum de Præfecto urbis Romanæ sic canit: *Laurentium sisti jubet, exquirat arcam ditibus Massis refertam, & fulgidæ MONTES monetæ conditos.* Nec Pietatis laus his Montibus tunc deerat; hinc idem Tyrannus de iis, qui pecunias suas conferunt, ibidem dicit: *Et summa PIETAS creditur, nudare dulces liberos.*

(a) In hymno de S. Laurentio.

§. 263.

Conve-
nientia
cum locu-
lis Christi.

Habent hodierni Montes Pietatis aliquam convenientiam cum oculis Christi, vel cum illa collectione, quam primi Christiani ante pedes Apostolorum ponebant, ut distribueretur, quantum cuique opus esset. Unde etiam ab aliquibus *Montes Christi*, & *Deposita Apostolica* olim vocabantur. Id tamen notabile discrimen intercedit, quòd ex Depositis primorum Christianorum, eleemosynæ prorsus gratis donarentur, quibus largitionibus exhauriebantur demum pia illa æraria, nisi nova identidem subsidia suppeditaret Fidelium charitas. Econtra in Montibus Pietatis non eleemosyna, sed mutuuum, & quidem sub pignore datur, suo tempore restituendum. Qua ratione quidem minor liberalitas exhibetur; beneficium (a) tamen Montium perpetuatur, & non præsentibus solùm, sed futuris etiam pauperum necessitatibus prospicitur.

(a) Beneficium conferri dicitur, etiamsi res non donetur, sed mutuò, aut precariò, imò etiam cum onere quodam servitiorum concedatur, donec mutuuum restituatur. vid. MARCULF. lib. 2. form. 27. & BIGNON. not. ad lib. 2. form. 5.

§. 264.

§. 264.

Montes isti constantur ex piis largitionibus divitum, *Materia;*
 legatis, eleemosynis: ex publico ærario: ex necessaria ci- *ex qua*
 vium contributione: ex pecuniis depositis, vel sequestratis: *Montes*
 ex multis pecuniariis: ex otioso pupillorum aut viduarum *constantur:*
 peculio: ex puellarum adhuc impuberum dotibus: deni-
 que ex creditis, seu etiam pretiis, quibus sibi loca quædam
 Montium, seu jus percipiendi certos fructus ex Montibus
 comparant nonnulli, propterea *Creditores Montis, Socii*
Montis, seu *Montistæ* dicti.

§. 265.

Finis primarius, & ex primæva institutione intentus *Finis pri-*
 est, ut subveniatur pauperibus mutuo indigentibus, ne hi *maris.*
 cogerentur à Judæis mutuum sumere sub usuris enormibus.
 Progrediente tempore latiùs ad alios fines extensa est Mon-
 tium quorundam utilitas, nempe ad sublevandas necessita-
 tes publicas totius Communitatis, vel ipso. am Principum,
 vel etiam privatarum familiarum. Unde inventæ sunt ra-
 tiones cumulandi intra breve tempus ingentes pecuniarum
 summas, quibus hi Montes in immensum auferentur, &
 non tantùm pauperibus, sed etiam divitibus & mercatori-
 bus inde mutuum præberi, vel pecuniæ ad meliorem quem-
 cunque usum impendi possent.

§. 266.

Ut ejusmodi Montes utilitatem & ætatem ferant, ne- *Erigendi*
 cessarium omnino est, ut non privata, sed publica aucto- *sunt au-*
 ritate erigantur. Nemo enim facilè pecunias suas, quas vel *toritate*
 pro commodo futurorum temporum ad subsidium pau- *publica*
 perum liberaliter largitur, vel etiam pro fructu percipiendo
 credit, privatis hominibus committet, nisi Magistratûs au-
 thoritas securitatem præstet. Dein multa subsidia, quæ am-
 plian-

pliando Monti serviunt, obvenire non possunt, nisi accedente auctoritate publica, uti sunt Deposita Judicialia, pecuniæ sequestratæ, mulctæ, necessariæ contributiones civium. Insuper interest Reipublicæ scire de ejusmodi exercitiis, ne fraudes irrepant, & usuris pandatur porta.

Privata auctoritate posse erigi Montem Pietatis tradit PASQUALIGUS *Decis. 199. & 200.* ut autem stabilitatem, & publicam fidem habeant, publica etiam auctoritas necessaria est.

§. 267.

*Summi
Pontificis,*

Cùm institutum hoc primam originem habuerit in civitatibus territorii Pontificii, utile, conveniens, & necessarium fuit, ut Romanus Pontifex non solum auctoritatem suam Ecclesiasticam, sed etiam sæcularem illis impenderet. (a) Pro aliarum Civitatum, extra Pontificium territorium sitarum, Montibus erigendis petita nonnunquam fuit Pontificis confirmatio, ex eo præcipuè capite, quòd Justitiam Montium impugnaverint multi, à potestate Episcoporum exempti, ad quos compescendos suprema auctoritate Apostolica stabiliendi erant Montes. Eo libentius autem hæc implorabatur, quo luculentiora pro Montium emolumento petebantur privilegia, quorum concessio potestatem Episcoporum, vel sæcularium Principum videbatur excedere.

(a) FILLIUCIUS *tr. 34. p. 2. n. 187. in fin.* bene monet, Montes profanos in bonum privatæ familiæ Romanæ erigi non posse absque licentia Summi Pontificis, qui etiam non aliter concedit, nisi assignentur Reditus, spatium annorum 20. vel 30. suffecturi ad præstandos fructus, & expungendum summam capitalem emptorum. Destruerentur aliàs facillè spes & res successorum, utpote redditibus, qui ad eos pervenire deberent, jam obligatis. Pontifex igitur, ut Princeps Regionis providere debet, ne constituentur ejusmodi Montes in grave nobilium familiarum damnum.

§. 268.

§. 268.

Natura autem hujus negotii ea est, ut æquè sufficiat auctoritas Episcopi, vel Magistratus Laici, aut Principis, Ecclesiastica quidem auctoritas, sive Episcopi, sive Papæ Romani, ad hoc requiritur, ut ejusmodi Montes numerentur inter causas pias, harumque privilegiis gaudeant. Ad profanos autem Montes erigendos, Principis, vel Reipublicæ concessio imploranda est, uti in Belgio, & multis Germaniæ civitatibus factum videmus.

Non satis peritè D. SENCKENBERG in Epistola adjecta *Disquisitioni Juridica de Montibus Pietatis* sub præsidio suo propugnata, notat mysterium, quod *nemini animadversum* esse dicit, scilicet omnes Montes Pietatis non ab Episcopis locorum, sed absque medio à Pontifice Maximo confirmatos, adeoque confirmationem Montium factam esse *Casum Papalem*, quia quorundam de usuris objectionem tollere, non nisi Pontificis erat, utpote qui solus secundum Canones de iis *dispensare*, aut aliquid, quod revera videtur, non esse usurarium *declarare* potest. Ita D. SENCKENBERG. Verum *declaratio* Summi Pontificis, imò universalis Synodi Lateranensis in ea, quam videbimus, Doctorum collisione, erat haud dubiè summæ auctoritatis, & argumentum fortissimum pro tuendo Montium instituto. Ut tamen singuli Montes erigantur, vel etiam Causis piis annumerentur, auctoritas Principis, & Episcopi sufficit. *Dispensatio* autem locum in hac re non habet; si enim nihil, quod usurariam pravitatem sapiat, intervenerit; dispensatione opus non est: si verò nova Montium forma usuram contineat; in hac nec Episcopus, nec Romanus Pontifex dispensationem posset impendere. Falsum igitur est, confirmationem Montium factam esse *Casum Papalem*.

§. 269.

Quæri potest, in cujus dominio sint pecuniæ pro Monte congregatæ? Aliqui dominium earum, Magistratui vel Communitati adstruunt, alii pauperibus. In dominium Communitatis eas redigere, nisi fortè ex ærario publico

desumantur, difficile videtur, cum nihil aliud Communitati, vel Magistratui competat, quam sola administratio juxta præscriptas Montis Leges; nulla verò libera dispositio ad proprium beneplacitum, vel commodum. Ut pauperibus dominium tribuatur, æquè difficile est, cum percipi vix possit, qua ratione mutuum dari, & quidem sub pignore possit pauperibus ex ea summa, quæ ipsorum est propria. Quæstio hæc multum habet subtilitatis, parum ad praxin conducibilis. Moveri eadem potest de aliis operibus piis, uti de pecunia ad dotandas Virgines legata, de redditibus ad alendos pauperes Scholasticos &c. Possunt Montes, & alia ejusmodi pia opera considerari tanquam personæ fictæ, ad modum hæreditatis jacentis, quibus omnia jura competunt, quæ aliorum dominorum sunt propria.

§. 270.

Varia di-
visiones
Montium.

Porro variæ sunt horum Montium species, quas breviter recensemus.

I. Prima Montium divisio est in *Montes Pietatis*, & *Montes profanos*. Ex illis dato mutuo subvenitur pauperibus. Ex his meliori quocunque modo privatis, publicisque necessitatibus providetur.

II. Montes Pietatis à modo colligendi pecunias, alii dicuntur *puri*, qui eriguntur ex pecuniis liberaliter & gratuito collatis: alii *mixti*, ex quibus Montistæ, qui pecunias conferunt, fructum percipiunt.

III. A modo distribuendi pecunias, alii sunt *perfectissimi*, ubi mutua prorsus gratis, & solis pauperibus conceduntur: *minus perfecti*, ubi exigitur modicum quid ultra sortem pro stipendiis ministrorum & aliis impensis: *imperfecti*, ubi mutuatarius insuper solvere debet interusurium, quod debetur Montistis; mutuum autem non solis pauperibus, sed fere cuicunque petenti conceditur.

IV. A

IV. A materia variam appellationem habent Montes pecuniæ, Montes frumenti, Montes farinae.

V. Montes profani à se invicem discernuntur denominatione sumpta ab Auctoribus, qui eos erexerunt, uti Mons Julius, Mons Pius, Mons Sixtus.

VI. Vel à familiis & locis, in quorum favorem sunt constituti, uti Mons Ursinus, Mons Cæsarinus.

VII. Vel à causis, quæ originem dederunt, uti Mons Fidei, Mons Religionis, Mons Pacis, Mons Aluminum.

VIII. Vel à tempore, ad quod pro diverso, qui intenditur, sine durare debent, uti Mons Novennalis.

IX. Vel à forma, uti Mons Redimibilis, vel Irredimibilis: Vacabilis, vel Non vacabilis, prout infra explicabitur. (§. 325.)

§. 271.

Juvat altiùs horum Montium originem repetere. Christianæ charitatis & humanæ societatis leges imperant, ut alienæ indigentia juxta facultatem propriam succurramus. Fieri id potest vel Eleemosyna, vel Mutuo.

Art. II.
ORIGO
MONTIUM
PIETATIS.
Aliena in-
digentia
succurritur

§. 272.

Nunquam non Fidelium pietas conferre solebat eleemosynas, per fidos ministros pauperibus erogandas. Exempla hujus liberalitatis in omnibus Ecclesiasticæ Historiæ monumentis occurrunt. Recentissimè Serenissimus Dux & Elector Baviaræ, paterno affectu erga veros pauperes commotus, simulque præcavere volens malis & fraudibus, quæ sub prætextu mendicitatis committi solent, ordinationes prudentia & pietate plenas constituit, (a) quarum ope sustentationi pauperum ita esset provisum,

Vel eleemosynis,

ut nulli necesse sit ostiatim, vel circumvagando stipem corrogare.

(a) Multæ conveniunt cum iis, quæ ad mendicitatem Romæ tollendam ab Innocentio XII. Pontifice, Anno 1693. statuta legimus in Libro, cui titulus: *La Mendicità Proveduta.*

§. 273.

Vel mutuo. Sæpe tamen occurrunt ex circumstantiæ, quæ non quidem liberalitatem eleemosynæ, sed officium mutuandi desiderant; ubi, qui indigentia premitur, non dubiam spem habet, ope mutui ea emolumenta acquirendi, ut forti restituendæ paulò post par sit futurus.

§. 274.

Vitanda duo extrema, circa obligationem dandi mutuum, Cùm alienæ indigentia succurri possit eleemosyna vel mutuo; (§. 271.) duo sunt extremi opinionum scopuli evitandi I. Si quis absque ulla limitatione doceret, dari obligationem mutuandi constituto in extrema necessitate, is planè nimis generaliter, & hoc ipso minùs castigatè loqueretur; cùm non semper constituto in extrema necessitate imponi obligatio restituendi, quam secum fert mutuum; sed sæpe jubeat Christiana charitas, ut non mutuum, sed eleemosyna tribuatur extremè indigenti, sine onere restitutionis. Vicissim

§. 275.

Vel eleemosynam. II. Si quis diceret, solam extremam necessitatem esse sufficientem rationem, ut imponi non possit obligatio restituendi, & consequenter rem illam, quæ extremæ necessitatis causâ accepta fuit, restitui non debere: hæc etiam nimium generalis doctrina probari non posset. Christianæ charitatis legibus nonnunquam satisfit dato mutuo, nonnunquam non nisi liberali eleemosyna.

In hunc secundum scopulum inciderunt Auctores aliqui, contra quos cum S. Thoma reliqui Theologi communiter docent, extremæ

tremæ necessitatis titulum non esse sufficientem, ut tollatur obligatio restituendi rem acceptam. In primum autem scopulum (§. 274.) imegisse visus est quidam, quem P. Daniel Concina *amici & amicissimi sui* nomine semper honorat, uti notatum fuit *Diss. I. §. 176. Schol.* Motus hac admonitione Clarissimus ille Auctor, typis edidit *Questionem Moralem, an & quando sufficiat, constitutis in extrema necessitate subvenire potius mutuo, quam elemosyna.* Præmittit ibi notanda aliqua, in quibus *nimis generalem* suam alibi traditam doctrinam limitat: dein adducit aliquos Doctores, qui optimè docent, extremam necessitatem non esse sufficientem titulum, qui excuset à restitutione. Sicut doctrina horum Doctorum nunquam fuit impugnata, & hinc frustra in sex illis foliis exscripta: ita laudandus est Clarissimus ille Auctor, quod doctrinam suam *nimis generalem* limitare aliquatenus voluerit. An autem limitationes ibi positæ sint sufficientes, non est hujus loci examinare. Remittimus Lectorem ad Professore Ingolstadiensem, quem dicto loco *Diss. I. §. 176. allegavimus, scilicet THEODORUM PELTANUM de trib. bonor. oper. gener. l. r. c. 5.* qui bene monet, *ad hoc quesitum, propter varios casus, simplici verbo responderi commodè non posse.* Unde incautè agunt Scriptores, qui ejusmodi quæstiones, quarum decisio ex variis circumstantiis dependet, pauculis verbis definiunt *nimis generaliter, & hoc ipso minus castigatè; propterea meritò admonendi.*

§. 276.

Indigentia civium frequenter officium mutuandi exigit: (§. 273.) utilissimum igitur Reipublicæ est, præberi commodam accipiendi mutui occasionem. Quamvis autem privatorum charitas indigentibus sæpe non desit, interest tamen, ut publica autoritate id beneficium præstetur. (§. 266.) Jam Primi Romanorum Imperatores necessitatem hujus instituti agnoverunt. Unde Augustus, quoties ex damnatorum bonis pecunia superflueret, usum ejus gratuitum iis, qui cavere in duplum possent, ad certum tempus indulgit. (a) Tiberius etiam dispositis per mensas nummis, sine usuris mutuandi copiam fecit ad tres

*Vetustus
mos, gra-
tis dandi
mutuum
publica
authori-
tate:*

an-

annos, modò debitores populo in duplum prædiis cavissent. (b)

(a) SÜETONIUS *in Augusto cap. 41.* qua ratione in duplum cautio petita fuerit, explicat CUJACIUS *observ. lib. 5. c. 38.*

(b) TACITUS *lib. 6. Annal. c. 17.*

§. 277.

Cui succedebat usuraria pravitas:

Hæc liberalitas plurimis in locis ignota videbatur frequentibus sæculis, usuraria potiùs pravitate populos opprimente. Quàm graviter hæc Sæculo XIII. multas regiones afflixerit, abundè manifestant gravissima Summorum Pontificum & Conciliorum Decreta, Codici Juris Canonici inserta. Hæc malo illi penitus evellendo, ex eo præcipuè capite non sufficiebant, quòd ipsi etiam Magistratus, qui compescere fœneratores debebant, partim indulgentia sua, partim etiam variis statutis hanc populi perniciem foverent, eo confidentius, quo impudentius aliqui docere non erubuerunt, exercere usuras non esse peccatum.

§. 278.

Eliminata per Concilium Viennense:

Unde Concilium Viennense, Anno 1311. celebratum, statuit, ut quicumque Communitatum Potestates, Capitanei, Rectores, Consules, Judices, Consilarii, aut alii quivis officiales, statuta hujusmodi de cætero facere, scribere vel dictare, aut quòd solvantur usuræ, vel quòd solutæ, cum repetuntur, non restituantur plenè ac liberè, scienter judicare præsumpserint, sententiam excommunicationis incurrant: eandem etiam sententiam incursum, nisi statuta hujusmodi hæctenus edita, de libris Communitatum ipsarum (si super hoc potestatem habuerint) intra tres menses deleverint, aut si ipsa statuta sive consuetudines effectum eorum habentes quoquo modo præsumpserint observare. Insuper, si quis illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras non esse peccatum, decernit Clemens V. Pontifex, sacro

facro approbante Concilio, eum velut hæreticum puniendum: locorum Ordinariis & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus districtius injungens, ut contra eos, quos de errore hujusmodi diffamatos invenerint, aut suspectos, tanquam contra diffamatos, vel suspectos de hæresi, procedere non omittant. (a)

(a) Clem. un. de Usur.

§. 279.

Terrebat ex una parte Rectores Communitatum in Italia grave istud fulmen Generalis Concilii; ex altera parte necessitatibus pauperum parùm consultum videbant, nisi aliqui ad mutuandas pecunias spe lucri allicerentur. Permisserunt igitur usurarum exercitium Hebræis, utpote qui legibus Ecclesiasticis non subiecti, excommunicationis poenam non timerent; & aliunde vi Legis Mosaicæ, perperam intellectæ, sibi usuras contra Christianos, tanquam extraneos, permissas crederent. (Diff. I. §. 90.)

Nutriti per ipsos Magistratus,

§. 280.

Si Magistratus Urbium Italicarum in mera permissione usurarum moderatarum conquievissent, non adeò reprehendendum fuisset eorum consilium. Certè Cardinalis Nicolaus Albergatus, (a) Episcopus Bononiensis, qui Hebræis certum usuræ modum præfixerat, à gravibus Doctoribus vindicatur. (b)

Qui non solum per-mittent,

(a) Hujus sancti Viri cultum ab immemorabili tempore exhibitum approbavit S. D. N. BENEDICTUS XIV. die 6. Octobr. 1744.

(b) Vid. BALLARINUS de Usur. tom. 2. in Append. fol. 90.

§. 281.

At verò passim permittebatur, ut Judæi enormi excessu in mutuo triginta annuos exigerent in singulos centenos, & quidem accumulando etiam usuras usurarum, Jure Civili quoque gravissimè damnatas. Imò ad infamem hanc negotiationem invitabantur Hebræi, propositis optimis conditionibus.

Sed etiam fovebant usuras Hebræorum,

ditionibus & privilegiis. Unde necessariò extrema pernicietas sequebatur plurimorum Civium, tum eorum, qui necessitate adacti ad sumendum mutuum, opprimebantur usuris; tum eorum, qui ex facilitate obtinendi mutuum, leviter pecunias dissipabant, rebus interim familiaribus, quas oppignoraverant, in prædam Hebræorum relictis.

§. 282.

gravissimas.

Ad gravitatem mali ob oculos ponendam, Arithmetici ducto calculo demonstrabant, Judæos exigendo 30. annuos in singulos centenos, pro mutuis centum aureis, computatis etiam usuris usurarum, intra 50. annos acquisituros lucrum, quadraginta novem milliones aureorum transcendens. (a)

(a) BERNARDIN. de BUSTI in *Defensor. tr. 2. part. 7. pag. g. 5. lit. 2.*

§. 283.

His obvium

Hanc populi deprædationem ægerrimè ferentes Episcopi, alique Viri pii, de opportuno remedio cogitarunt, ut scilicet statuta, quibus Judæi tuti erant, abrogarentur; & cumulus pecuniæ ex piorum eleemosynis, aliisque fontibus congregaretur, ex quo indigentibus gratuitum mutuum sub pignore concedi posset.

§. 284.

Urbe veteri,

Pium hoc institutum ante alias Italiæ Civitates amplexi inveniuntur incolæ Urbis Veteris. (a) Cùm autem civitas hæc in Patrimonio S. Petri sita sit, negotium in Camera Apostolica examinatum, annuente Pio II. Pontifice, à Cardinale Ostiensi, tunc S. R. E. Camerario, confirmatum fuit. Ipse tamen Pius Pontifex postea Breve in favorem hujus Instituti, quod *Montem Christi* appellabant, expedivit die 3. Junii, anno 1463. (b)

(a) Orvieto.

(b) Refert hoc Breve BERNARD. de BUSTI *loc. cit. part. 4. lit. R.*

§. 285.

§. 285.

Circa idem tempus Hermolaus Barbarus, Episcopus Veronensis, ad gubernandum Perusium à Pontifice missus, & Jacobus de Cortona, ejusdem Perusinae Civitatis Episcopus, operâ insignium Concionatorum, maximè Michaëlis de Mediolano, & Barnabæ Interamnensis, qui *Observantiam* Regularum S. Francisci re & nomine profitebantur, effecerunt, ut cives Perusini statuta Hebræis faventia abrogarent, & magnam pecuniæ summam in tam pium opus congererent.

Et Perusii,

§. 286.

Montis hujus Perusini, & aliorum, qui ad ejus formam alibi erecti sunt, Capitula à Viris doctis & piis concepta, ad tria præcipuè collineabant. I. Ut ex corrogata pecunia solis egentibus, non autem divitibus aut mercatoribus, daretur mutuum, & quidem in modica solùm quantitate pro sublevandis necessitatibus, & ad modicum tempus, scilicet non ultra annum, ut pium hoc opus possit esse pluribus commune. II. Ut accipientes mutuum, dent pignora, quæ in domo ad hoc conducta, per ministros Montis custodiantur, & restituentibus intra annum reddantur; non restituentium verò publicè vendantur, & ex pretio satisfiat Monti; residuum autem reddatur domino venditi pignoris, ut hac ratione perpetuari possit Mons, & futuris etiam pauperibus prodesse. III. Ut ultra pecuniam mutuatam solvant mutuatarii secundùm numerum librarum, singulis mensibus modicam aliquam & proportionatam quantitatem, non quidem ut aliquid ultra sortem Monti accedat, sed ut inde congruo salario compensetur opera custodum, & ministrorum, qui publico pauperum bono, pecunias & pignora suo periculo custodiunt, rationesque dati & accepti scribunt, ac reddunt: item ut expensæ inde fiant pro pensione domus, emptione librorum, & aliis.

*Erectis
Montibus
Pietatis;*

§. 287.

*Quorum
aliquos
articulos*

Pii omnes laudabant hoc Institutum, sanctumque pronuntiabant, quatenus duobus prioribus Articulis continebatur. Tertium autem Caput de quibusdam denariis ultra sortem pro salario ministrorum à mutuario solvendis, improbabant multi: illudque usuræ incufabant.

§. 288.

Aliqui improbant.

Pro Montibus cum obligatione solvendi denarii, præter plures Theologos & Jure-Consultos, stabant Religiosi S. Francisci, ii præcipuè, quos ab *Observantia* nominamus. Contra hanc obligationem se opponebant plerique Religiosi S. Dominici, & nonnulli alii.

§. 289.

*Libros de
hac re
scripserunt*

Controversia ista non tantum in publicis Concionibus, sed etiam scriptis libris acriter inter dictos Religiosos Ordines fervebat. Præter quorundam Jctorum consilia, ad manus meas ex ejus ævi Scriptoribus pervenerunt Tractatus NICOLAI BARIANI de *Placentia* Ord. Eremit. D. Augustini; BERNARDINI de BUSTI ex Ordine S. Francisci; & THOMÆ de VIO, postea Cardinalis Cajetani ex Ordine S. Dominici. Primus anno 1494. evulgavit opusculum de *Monte Impietatis* inscriptum. Alter anno 1497. edidit *Defensorium Montis Pietatis contra figmenta omnia æmula falsitatis*. Tertius denique anno 1498. absolvit Tractatum de *Monte Pietatis* nominatum.

Ex annis, quos hi Auctores suis Tractatibus adjecerunt, apparet, quod Bernardinus de Busti non intenderit refutare librum Thomæ de Vio, utpote anno posteriore scriptum, quam tamen intentionem Bernardini fuisse, credidit LUCAS WADDINGUS *Annal. tom. 14. ad ann. 1474. n. 13.* & JACOB. PIGNATELLI *tom. 4. Consult. 153.* Sed potius scripsit Bernardinus

dinus contra Nicolaum Barianum, cujus quidem nomen tacet, sed librum sæpius carpit, præsertim *tract. 2. part. 4. in fin.* ubi acerbam invektivam orditur his verbis: *Quid ergo meretur ille temerarius, qui librum abominabilem piis mentibus edidit, quem de Monte Impietatis intitulavit &c.* Item *part. 5.* refert conclusiones decem cum septem Corollariis, quas Hieronymus Carenzonus contra librum Nicolai Bariani posuit.

§. 290.

Nicolaus Barianus periculosum errorem, ut ipse loquitur, (a) pro veritatis zelo stomachatus, æquo animo ferre nequivit, sed contra ipsum non sine vitæ discrimine prædicavit, disputavit publicè, & opusculum edidit, quo potissima argumenta contra Montes Pietatis refert ex sua super hoc negotio disputatione Faventiæ habita, refellitque rationes ab Adversariis suis ibi propositas, aut pro Concionibus, præsertim à Bernardino Feltrensi proponi solitas: stricta & scholastica utitur methodo, valde tamen aculeata. Urget præcipuè, quòd summa denarii ultra sortem in Monte exacta, sit pretium usûs rei mutuatae; & lucrum ex mutuo principaliter intentum: (b) falsèque explodit revelationes & miracula in favorem Montium vulgo jactata. (c)

Nicolaus
Barianus:

(a) *In dedicat. ad Georgium Albanens. Episc. & Cardin.*

(b) *N. 182.*

(c) *N. 225. seqq. 280.*

§. 291.

Bernardinus stylo inculto, sed festivo, ad genium illorum temporum accommodato, solvit quadraginta Rationes, Statutis Montium Pietatis oppositas; additque in eorum defensionem sexaginta argumenta, ex eo potissimum desumpta, quòd modici illi denarii ultra sortem exacti, non præstentur ratione mutui, sed ratione laboris & periculi, quod Ministri Montis in se suscipiunt in bonum pauperum. gravari enim dicit pauperes non ratione mutui, sed ratione

Bernardi-
nus de
Busti:

locatæ operæ, sicut qui donat equum pauperi, gravat eum, quia oportet eum emere frænum pro eo, & scænum pro ejus cibo: & donans triticum famelico, gravat eum, quia oportet solvere bajulo, molenti, & pistori &c. (a) Qui autem instituerunt Montes, credebant, hoc quaecunque gravamen illis miseris temporibus cedere in utilitatem pauperum, scientes, quòd licet simpliciter sit vinum melius aqua, tamen in casu potior est aqua vino. (b) Similibus autem responsionibus enervata prorsus contraria argumenta, & patere putat, quòd Achilles Adversariorum est in sacco conclusus. (c)

(a) Tr. 1. part. 3. ad 4.

(b) Ibid. ad 8.

(c) Tr. 2. part. 3. pag. f. 3. lit. O.

§. 292.

Thomas de
Vio,

Econtra Thomas de Vio, stylo gravem Philosophum redolente, controversiam istam non ex SS. Canonibus, aut Legibus Civilibus, aut etiam Theologia decidendam ratus, argumenta sua ex Philosophiæ Moralis principiis contra Montes, cum obligatione solvendi denarii institutos deducit. Libratis enim Justitiæ, tum Commutativæ, tum distributivæ ponderibus, perpensaque, quæ in omnibus contractibus requiritur, æqualitate, judicat, in exactione denarii menstrui in singulas libras, lædi æqualitatem in contractu mutui requisitam: exigi enim denarium à mutuuario pro labore minimè in bonum mutuarii impenso: acceptionem quippe & custodiam pignorum cedere in bonum Montis mutuantis, cum maxima mutuarii molestia, qui re oppignorata sæpe difficulter caret. Sicut igitur quispiam privatus, qui pro mutuo recepit pignus, nihil potest exigere ultra sortem ratione custodiendi pignoris; ita neque Communitatem Montis posse quidquam ex eo titulo accipere: custodiam autem pecuniæ, & redditionem rationum cedere tum in commodum & securitatem Montis,
tum

tum in bonum totius Communitatis pauperum; id tamen oneris subire non debere aliquem privatum: servitium enim Communitati exhibitum compensari ab ea, ut singularem personam induit, non autem à singulis. Solum actum mutationis, & numerationis pecuniæ cedere in bonum mutuatarii; ea autem, utpote omni mutuo innata, non esse pretio æstimabilia. Præparationem ad mutuandum, quantum cedit in commodum mutuatarii, esse quidem pretio æstimabilem, tantum nihilominus ratione illius non posse exigi pretium, quantum sufficeret ad compensandas omnes Ministrorum operas, in utilitatem Montis, seu totius Communitatis impensas.

§. 293.

Favebant Montibus Consilia plurium Universitatum, Theologorum & Jure-Consultorum. (a) Sed horum auctoritatem parùm venerabatur Cajetanus, juxta quem nemo rerum harum intelligens, debet aut potest Theologis, Canonistis, aut Legum peritis conscientiam suam in isto negotio credere, sicut nec corporeæ infirmitatis periculum aromatariis, nisi stultè committeret; (b) cùm totum negotium ex Philosophiæ placitis definiri debeat.

*Qui nec
responsis
Juris
Consulto-
rum,*

(a) ANTON. CORSETUS in Consilio hac de re dato (quod recensetur inter Consilia Criminalia à ZILETTO congesta tom. 2. Conf. 25.) testatur n. 115. jam suo tempore, circa ipsa scilicet Montium initia, & ante finem sæculi XV. emanasse 36. Consilia famosissimorum Doctorum in favorem Montium. De his Consiliis agit etiam BERNARD. de BUSTI tr. 2. part. 5.

(b) *De Mont. Piet. Cap. 2.*

§. 294.

Exhibitis Literis Pontificiis, quibus approbati erant hi Montes, reponebat Cajetanus, approbatum quidem esse Montem: ejus autem capitula, non nisi cum adjuncto

*Nec Bullis
Pontificiis
moveretur*

(Sacris

ad proban-
dos Mon-
tes.

(*sacris Canonibus non contraria*) esse approbata: Canonibus autem contraria esse capitula iniustitiam continentia; vi quorum liceret aliquid ultra sortem pro salario Ministrorum exigere. Unde non parvum peccatum fuisse ait, facere imprimi Summi Pontificis Bullas truncatas absque illa clausula, qua approbantur Statuta, *sacris Canonibus non contraria*: laqueum hunc esse animarum, in quem ipse etiam incidisset, vel saltem absque suspensione non fuisset, nisi viva voce audisset, sic haberi in originalibus; & calamo scriptam particulam illam in Bullæ Mantuanæ copia vidisset. (a)

(a) Mons Mantuanus, quem hoc loco intelligit Cajetanus, approbus est ab Innocentio VIII. anno 1486. Calend. Decemb. Clausulam, quam asserit Cajetanus Bullæ Pontificiæ appositam, verosimilem non iudicat SCACCIA *de Commenc. §. 1. q. 1. n. 446.* cum Montis approbatio sub his terminis facta, fuisset superflua; mutare enim, & nil recipere ultra sortem à mutuatario, non indiget approbatione, nec habet controversiam. Controversia autem eo tempore fuit maxima super hoc puncto, quam per eiusmodi clausulam denuò reviviscere & augeri primum erat. Censet PIGNATELLI *tom. 4. Conf. 153. n. 2.* clausulam istam, *sacris Canonibus non contraria*, non referri ad expressè disposita, sed ad non expressa. De stylo enim Cancellariæ post approbationem expressorum, addi solet approbatio generalis aliorum, quæ à statuentibus decerni possent, de quibus cum Pontifex notitiam non habeat, idè additur clausula, *dummodo sint licita & honesta* &c. quæ refertur ad ea tantummodo capita, quæ ultra expressa à statuentibus addi possunt. Admittit igitur Pignatelli, Cajetanum (Sotum ipse nominat ex lapsu calami) legisse istam clausulam, sed non perpendisse, in qua parte Literarum fuerit appositæ: hocque, dicit, facile contingere potuisse in Theologo. Unde ruit conclusio NICOLAI BARIANI *de Monte Impiet. n. 228.* his verbis concepta: *Omnis Bulla Apostolica mutuum Montis approbans, non includens hanc vel consimilem clausulam; nisi sacris Canonibus sit contrarium: nec illam excludens, pro reverentia Sedis Apostolicæ, tali clausula glossanda est. Et omnis Bulla præfatam clausulam excludens, pro suspecta de falsi.*

falsitate, imò pro falsa alleganda est, ac per hoc dicendum est, ipsam non emanasse de mente Domini Papæ, sed aliunde falsificatam esse.

§. 295.

Laudandus erat inter adversas partes, hinc Justitiæ, *Acrius disceptabatur,* illinc Pietatis zelus, modò constitisset intra limites. Verùm ardor disputandi non solùm ad impugnandam doctrinam, sed etiam ad arguendam intensionem docentium mutuò impellebat. Isti enim suspicabantur, obligationem solvendi denarii urgeri ab æmulis *propter superbiam, ut videantur vicisse pugnam, aut propter cupiditatem, ut de excrescentiis participent.* (a) Illi vicissim credebant, quòd impugnatores Montium, unicè ad extirpandas graves usuras inventorum, aut sint usurarii publici vel occulti, habentes pecuniam in manu Judæorum, vel usurariorum, à quibus recipiunt lucrum: aut recipiant tributa ab usurariis: aut moveantur invidia & livore, quo afficiuntur institutoribus ipsius Montis: aut hoc agant studio & consuetudine contradicendi veritati, vel pertinacia & obstinatione defendendi suas erroneas opiniones: aut certè hoc agant ex ignorantia. (b) Mitiùs præsumere oportet de mente Religiosorum Virorum. Certum tamen est, non solùm ex Justitiæ zelo à Catholicis Doctoribus, sed etiam ex avaritiæ studio à Judæis & eorum fautoribus gravissima obstacula posita fuisse introducendis Montibus, donec oculos quorundam Magistratum, quos auri fulgor obcæcaverat, pietatis & boni publici lux plenè illustraret. (c)

(a) SYLVEST. *Summ. v. usura. s. in fin.*

(b) BERNARD. de BUSTI. *tr. 2. p. 3. in fin.*

(c) LUCAS WADDINGUS *Annal. tom. 14. ad ann. 1488. n. 9. seqq. n. 23. 24.*

§. 296.

Cùm autem non obstantibus adversis conatibus, univ- *Etiam comit- nando censuras* versus populus, Episcopi, Theologi ac Jure-Consulti fa-
rent Instituto Montium, facilè perspexerunt Religiosi S. Do-
minici,

minici, solas rationes ex Aristotelicis Ethicorum Libris desumptas, parùm effecturas. Unde totam demum auctoritatem suam, quam munus Inquisitorum Fidei tribuebat, impendere decreverunt. Cùm enim Concilium Viennense (§. 278.) præcepisset, ut Inquisitores Fidei contra patronos usurarum procederent, tanquam suspectos de hæresi; hinc eos, qui ejusmodi statuta, quæ sibi usuraria videbantur, fabricarent, tanquam suspectos de hæresi reputabant.

§. 297.

*Quas alii
declina-
bant,*

Reponebant fautores Montium, quamvis usurarius & hæreticus haberi possit ille, qui diceret, usuras esse licitas; nequaquam tamen usurariæ pravitate, multo minùs hæreseos suspicionem incurrere illos, qui negarent, contractum aliquem esse usurarium, quem fortè alii usura infectum censerent.

§. 298.

*Retorque-
bant,*

Vicissim Religiosi ex Ordine S. Francisci, cùm & ipsi Inquisitioni in variis locis præessent, adversarios Montis suspectos in Fide habebant, utpote quos pertinaciter Bullis Pontificiis contradicere credebant. Verùm opponebant sibi invicem Privilegia Familiarum suarum, quorum objectu à mutuis utrinque censurarum telis tuti erant.

§. 299.

*Vel elude-
bant.*

Majus sibi jus in Nicolaum Barianum Augustinianum, putabat esse quidam ex Ordine S. Francisci Vicarius Inquisitoris. Unde in disputatione Faventina contra eum tanquam de hæresi suspectum ac excommunicatum se processurum minitabatur. Nicolaus verò reponebat, suum Ordinem iisdem privilegiis gaudere, quæ haberent Minores & Prædicatores: sicut igitur hi sub excommunicationis poena contra se invicem procedere non possent, ita etiam vicarium

rium istum excommunicationis poenæ subjacere, si contra se procedere velit. Hanc responsonem non parvum risum movisse adstantibus narrat Nicolaus n. 271.

§. 300.

Cùm igitur nec tela rationum, nec gladium suæ potestatis sufficere viderent, in animis exacerbatis, de acrioribus remediis consultatum fuit. Certè Angelus de Clavasio, Vicarius Generalis Minorum de Observantia, literis ad suos datis, alia remedia nihil profectura censuit, nisi contra Adversarios exsereretur plena Episcoporum auctoritas, implorato etiam brachio sæculari.

Literas has exhibet BERN. de BUSTI *tr. 1. p. 3. ad 35. initium* sic habet: *De fratribus illis, qui tot faciunt contra sanctum Montem Pietatis, scias, quòd ex passione & studio contradicendi perdiderunt intellectum. Et ideo aliud remedium non est ipsis, nisi flagella. Sic quippe credo recuperarent, dicente Scriptura, quòd vexatio dabit intellectum. . .*

§. 301.

Unde sæpius causa ista delata fuit ad Tribunal Episcoporum, & auditis partibus sententia lata pro erectione Montium, etiam cum obligatione denarii. Florentiæ Anno 1473. cùm diversi Concionatores tempore quadragesimali pugnantes doctrinas de Montibus Pietatis proposuissent, mox infra hebdomadam Paschalem Vicarius Generalis Archi-Episcopi, citatis & auditis partibus, pro Monte pronunciavit, sub poena excommunicationis prohibens, ne quis aliter, vel contra Montem prædicaret. Simile quid factum pro Monte Narniensi Anno 1487. pro Monte Cremonensi anno 1493. qua tamen sententia non obstante, Adversarii Montis fecerunt Monasterii sui campanas festivas sonare

nare more suo solito, ut rudibus per hoc suggererent, se de sua falsa opinione victoriam reportasse. (a)

(a) BERNARD. de BUSTI *tr. 2. p. 3. arg. 49. lit. R. & p. 5. in fin.*
Tenorem Sententiæ Cremonensis exhibet LUCAS WADDINGUS in *Annal. Minor. tom. 15. ad ann. 1493. n. 40.*

§. 302.

*Et ipse
usis*

Ad præcidendas tot altercationes, & tollendam omnem speciem injustæ usuræ, conabantur etiam aliqui ex Ordine S. Francisci eam formam Montibus quibusdam inducere, ut mutuatarii prorsus nihil ultra sortem præstare deberent. Opponebat se B. Bernardinus Feltrensis, Montes ejusmodi exiguo duraturos tempore ratus, cum in administrando Monte pauci laborem essent gratis subituri; ærarium autem Montis, si ex eo stipendium Ministrorum accipiatur, paulò post esset exhauriendum.

§. 303.

*Probabat
institu-
tum*

Hinc anno 1493. Florentiæ in Comitibus, & secreto Concilio Patrum Minorum de Observantia, discussis utrinque rationibus, præcipui Ordinis Patres decreverunt, Bernardini normam tenendam; at verò circa eos, qui aliter instituti erant, Montes dissimulandum. (a) Ejusdem mentis haud dubiè fuerat Episcopus Lucensis, qui in Literis, quibus Montem suæ Lucensis Civitatis approbat, sic loquitur: *Si denarius ille Officialibus Montis designatus pro expeditiori computo Montis, & aliquali utilitate pauperum, ex publico solveretur, id quietius esset, sed certè non sanctius.* (b)

(a) LUC. WADDING. *tom. 15. ad ann. 1493. n. 27.*

(b) Idem *tom. 14. ad ann. 1489. n. 16.*

§. 304.

Montium,

Longiùs progressi sunt ejusdem Ordinis Patres in Capitulo Generali Familiæ Cismontanæ Mediolani celebrato,
Anno

Anno 1498. ubi non solum constitutum fuit, ne instituantur Montes Pietatis absque onere solvendi denarioli pro stipendio Officialium: sed insuper jussum, ut religiosè & prudenter curaretur à Prædicatoribus, alios Montes aliter erectos ad hanc formam reduci. (a) Narrat BERNARDINUS de BUSTI, (b) se in civitate Mediolanensi Montem, absque onere solvendi denarii captum reperisse: cum autem commodè mutare non posset, ita tamen ejus capitula ordinasse, ut cum tempore possit ad aliorum formam, quæ melior est, reduci.

(a) LUC. WADDING. *ad ann. 1498. n. 1.*

(b) *In Defensor. tr. 1. p. 3. ad 24.*

§. 305.

Dum hac ratione fumigabant Montes in Italia, convocatum fuit Concilium Lateranense V. sub Julio II. & continuatum sub Leone X. Ubi (a) referuntur inprimis contrariæ opiniones Theologorum & Jctorum circa Montes Pietatis, accuratèque attinguntur rationes in tractatu Cajetani, tunc Generalis Magistri Ordinis sui, & in Concilio præsentis, propositæ. (b) Commendatur dein utriusque partis studium, alterius quidem partis Justitiæ zelus, ne vorago aperiretur usurarum; alterius pietatis & veritatis amor, ut pauperibus subveniretur: denique sacro approbante Concilio declarat, & definit Pontifex, Montes Pietatis, in quibus pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illarum conservationem pertinentium pro eorum indemnitate duntaxat ultra sortem absque lucro eorundem montium accipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare: neque ullo pacto improbari, quinimo meritorium esse, ac laudari & probari debere tale mutuum, & minimè usurarium putari &c. Adjicitur tamen, multo perfectius, multoque sanctius fore, si omnino tales Montes

Quod confirmatur à Concilio Lateranensi.

gratuiti constituerentur: hoc est, si illos erigentes, aliquos census assignarent, quibus si non omni, saltem vel media ex parte hujusmodi Montium ministrorum solvantur impense, ut ad leviores solvendi portionem medio hoc pauperes gravari contingat &c. Placuit hæc constitutio omnibus Concilii Patribus, excepto solo Archi-Episcope Tranensi, qui ab experientia se didicisse dicebat, hos Montes plus esse damnosos, quam utiles. (c)

(a) Sess. 10. anno 1515. celebrata.

(b) Thomas de Vio Orationem habuit in Sess. 2. hujus Concilii, tanquam Minister Generalis sui Ordinis: & plerisque Sessionibus interfuit, uti videre est in Actis Concilii hujus, ubi singulis Sessionibus præmittitur Catalogus Patrum præsentium. Sessioni decimæ tamen, ubi causa ista agitabatur, nec ipsum, nec alium Generalem Ordinis adfuisse observo. Fortè parcebatur pudori Cajetani, cujus doctrina de Montibus Pietatis hoc loco fuit reprobata. Quid senserit Cajetanus post Concilium, meum non est conjecturare. Certè opportunissimum locum mentem suam aperiendi habuisset in *Summula Pescatorum*, quam postea scripsit inter Hungaricæ Legationis discrimina, Pösonii Anno 1523. & Clementi VII. dedicavit. Ubi *verb. usura*, non solum mentionem de Montibus Pietatis prorsus dissimulat, sed etiam c. 1. n. 16. docet, *usuram esse, si quis mutuat super pignora, ea ratione, ut habeat tres pro centenario, non quasi lucrum ex mutuo, sed quasi subsidium ac stipendium necessarium ad custodiam pignorum, & excussionem, & alia hujusmodi.* Quibus verbis si Montem Pietatis notet, planè adversari Concilio videtur. Addit tamen Cajetanus, *expensas qualitati pignoris annexas, imputandas esse domino pignoris.* Quibus verbis excusari Montes Pietatis, putat GAUGERICUS *ibid. in annot. lit. G.*

(c) Neque Archi-Episcopus Tranensis, neque ullus ex præsentibus Patribus agnovit usuræ labem in his Montibus. Unde ineptè dicit D. SENCKENBERG *de Mont. Piet. c. 1. §. 6.* Pontifices sibi contradixisse, dum damnant omnes usuras, & tamen in Montibus Pietatis admittunt aliquid.

§. 306.

Videbatur causa Montium decisa per Decretum Concilii universalis. Nihilominus apud Dominicum Soto (a) illustrem Ordinis Prædicatorum Theologum, præponderabant rationes à Cajetano olim prolatae. Hic igitur cum protestatione, quòd Decretis vel Concilii, vel sanctæ Sedis nullatenus velit contraire, sed eisdem sanctissimè obedire, paratissimè retractare, quidquid Ecclesia Catholica jusserit, (b) . . . arbitratur ejusmodi rationem Montis (cum obligatione denarii solvendi pro sustentatione Ministrorum & aliis expensis) neutiquam ab usuræ sordibus elui posse, cum contributiones à pauperibus mutuataris exactæ, non ex alia quàm mutui ratione fiant. (c)

*Sed impro-
batur à
Dominico
Soto.*

(a) *De Fur. & Just. lib. 6. q. 1. art. 6.*

(b) Simili protestationi Gallicus Scriptor hanc subjungit notam: *N'est ce pas comme faire un larcin, avec protestation de restituer en cas de recherche & de poursuite? Memoires de Trevoux ad ann. 1712. mens. April. Art. 44.*

(c) Hoc argumentum nominatim rejicitur à Concilio.

§. 307.

Dicit igitur Sotus cum debita obedientia ac reverentia, non omnia Acta Concilii Lateranensis more & usu esse recepta: (a) excommunicationem autem non ferri nisi cum illo moderamine, ut disputatio cohiberetur contra Capitula, quatenus sacris Canonibus ac naturali rationi non sunt adversa: (b) non alia enim Capitula per Bullam Concilii esse approbata, commemorante Cajetano: (c) aliàs iste fuisset damnatus, (sic pergit Sotus) qui tamen cum tempore Leonis opusculum edidit, quo Montem non probavit, minimè fuit reprehensus. (d) Putat insuper, minimè expedire, ut casus omnes, de quibus dimicatur, sintne usurarii, Ecclesiæ auctoritate definiantur, si tales sunt, qui non nisi ex mera Philosophia perpendi debeant, quoniam Spiritus Sanctus

*Ex ratio-
onibus in
Concilio
generali
rejectis:*

Sotus non curat Ecclesiæ nisi Scripturam sacram exponere, & Leges necessarias sancire: quando autem sunt *opiniones probabiles* inter graves Doctores, utramvis sequaris, in tuto habes conscientiam. Ita Sotus syllabo rigororum Doctorum insertus à P. Concina.

- (a) Difficile hoc dictum est de iis, quæ à Generali Concilio declarando Jure naturali & Divino asseruntur. Hujusmodi enim declaratio non est lex, cujus vigor possit dependere à receptione.
- (b) Concilium approbat illam ipsam Montium conditionem, quam Sotus repugnare putat Justitiæ, & sacris Canonibus, scilicet exactionem pro impensis ministrorum. Neque lata fuit excommunicatio solum ad cohibendam disputationem: sed etiam definitum, in hujusmodi Montibus *meritorium esse, ac laudari & probari debere. tale mutuum, & minime usurarium putari &c.* (§. 305.)
- (c) Malè hoc imputatur Cajetano, qui jam sexdecim annis ante definitionem Concilii Lateranensis absolverat suum tractatum de Montibus Pietatis, solumque loquitur de Literis Pontificiis pro Monte Mantuano ab Innocentio VIII. datis (§. 294.)
- (d) Cajetanus absolvit suum tractatum Anno Christi 1498. & Leo X. electus fuit Anno 1513. Durum dictum est, Dominicum Sotum voluisse fallere: æquè durum est, tantum virum in negotio isto ante 40. annos gesto fuisse deceptum. Concilii enim Lateranensis Sessio X. ubi Montes Pietatis probabantur, habita fuit Anno 1515. Librum autem suum de Jure & Justitia absolvit Sotus Anno 1554.

§. 308.

Et à nemine admittendis:

Hæc Soti doctrina post claram & accuratam Concilii Lateranensis definitionem à nemine teneri potest. (a) Unde à Catholicis Scriptoribus Montes etiam illi, in quibus denarius menstruus in singulas libras exigitur, in controversiam postea tracti non sunt, quamdiu juxta primævum Institutum

ex.

ex folis gratuitis piorum donationibus, legatis, eleemosynis conflabantur.

- (a) Modestissimè TOLETUS *Instr. Sacerd. lib. 5. c. 38.* miratur hanc doctrinam Soti, tanquam nimis audacem, putatque, qui tale diceret, esse excommunicatum. Solus VINCENTIUS BARONIUS *Ord. Præd.* defendit Sotum, uti videre est apud MATTHÆUM de MOYA *Theol. Mor. Appendic. ad Tract. 6. Miscell. Disput. 1. q. 3. §. 2.* PIGNATELLI *tom. 4. Consult. 153. n. 1.*

§. 309.

Quamprimum autem profani aliquid, per depositas ad annuam pensionem pecunias, Monti Pietatis immixtum fuit, resuscitatus est zelus quorundam Theologorum, eoque efferbuit, ut quidam ex iis (a) etiam decisionem Concilii Lateranensis non obscure carpere videatur. Ait, Cajetanum, Sylvestrum & Sotum prævaluisse ratione, & hinc consultius futurum fuisse, si sancta eorum doctrina executioni fuisset data. (b) Putat, institutionem Montium Pietatis cum solutione denarii pro sustentandis ministris provenisse ex astuta persuasione dæmonis, quæ licet speciem boni, scilicet charitatem erga pauperes, præferret, debuisset tamen repelli, ne porta aperiretur antiquo serpenti & pravitati usurariæ; sicut Christus repulit dæmonem, qui proposuit rem apparenter bonam & illi necessariam, ut scilicet panem ex lapide fieri juberet: (c) censet igitur, hodiernam labem usurariam provenisse ex neglectu doctrinæ Cajetani & aliorum ex Ordine Prædicatorum. (d) Hæc sufficiant de origine Montium Pietatis.

Postea tamen resuscitatis.

- (a) AGOSTINO MONTALCINO *Lucerna dell' Anima. c. 20. §. 2.*

(b) Verba ejus sunt: *Era molto meglio che come prevalevano con la loro libertà, & ragioni, così fosse stata messa in esecuzione la loro santa mente &c.* Cadit in hunc Authorem elogium illud Catonis apud Lucanum: *Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni.* Institutio Montium Pietatis placuit Summis Pontificibus

Z

bus

bus & universæ Ecclesiæ, rejectis rationibus Cajetani: sed hæc præplacent huic Theologo.

(c) Cave Lector, ne inde eruas, sensisse hunc authorem, quòd Concilium Lateranense succubuerit tentationi dæmonis, & ex ejus inspiratione solutionem denarii in Monte Pietatis approbaverit.

(d) Verba sunt valde pathetica in Idiomate Italico: *Così s' il mondo haveffe voluto udire i gridi, & le strida de buoni Prelati, & zelanti Predicatori, & Teologi dell' ordine nostro de Predicatori, che con tanta dottrina predicarono, & scrissero, che non s' aprisse questa piccola finestrella all' usure, non vedremo hoggi, con nostro grandissimo cordoglio, spalancate tutte le porte alle avaritie, iniquità, & ingiustitie, & aperta ogni cataratta, & voragine di usuraia pravità.*

§. 310.

Art. III.
DE PROPAGATIONE
MONTIUM
PIETATIS,
*Montes
Pietatis
propagantur*

Concertationes Doctorum non obstabant, quo minus longè latèque propagaretur hoc Institutum Montium, primæva tamen forma non ubique servata, sed sub aliis, & aliis legibus, quas temporum, locorum, & finis intenti diversitas dictabat. Singulæ hæc immutationes, novorum dubiorum, scrupulorum ac litium occasionem præbuerunt. Consideremus, quantum ad rem præsentem opportunum visum fuerit, Propagationem Montium I. per Italiam. II. per Belgium. III. per Germaniam.

§. 311.

*I. latè per
Italiam:*

In Italia vix ulla erat civitas, quæ carere hoc indigentium subsidio volebat. Prima Montium Pietatis vestigia deprehendimus Urbe Veteri, Ann. 1463. (§. 284.) Perfectior Idea Montis, ad cujus formam tum Urbevetanus, tum alii deinceps reducti sunt, constituta est Perusii, approbante Pontifice Paulo II. Ann. 1467. (§. 285.) Postea erectus est Viterbiensis 1472. Savonensis 1479. Assisiensis 1485. Mantuanus 1486. Cæsenatensis & Parmensis 1488. Eodem anno Mons Aquilæ restitutus. Theatinus auctus, & Inter-

Interamnenſis erectus 1489. eodẽmque anno Lucenſis approbatus ab ejus loci Epifcopo. (§. 303.) Genuæ Mons Pietatis ex pecuniis per Conſiliarios S. Georgii collatis antea erectus, amplius ſtabilitus; Veronæ autem recens erectus 1490. Patavini, (a) Placentini, & Ravennatenſis (b) Montis initia ad Annum 1491. referuntur. Ad Campum S. Petri, Cremonæ, & Ticini idem Pietatis opus introductum Ann. 1493. (c) Bononiensis Montis primam institutionem referunt ad Annum 1505. (d) Demum Romæ, promotore Joanne Calvo Ord. Minor. de obſervantia, à nonnullis bonæ mentis Viris erectus, & à Paulo III. confirmatus est Mons Pietatis 9. Septembr. 1539. (e)

(a) BERNARD. de BUSTI *tr. 2. p. 2. in fin.* exhibet carmẽ affixum foribus domus, ubi mutuũ dandum eſſet, in die erectio- nis Montis Patavini. Inter alios erant iſti verſus: *En nunc tem- pus adest, ut fœnore ne voret ultra Judæus populum Rex benedi- ctæ tuum &c.*

(b) De Monte Ravennatenſi vid. RUBEUS *lib. 7. Hiſt. Ravennat. ad ann. 1491.*

(c) De initiis variorum Montium agunt, Literasque Pontificias pro eis datas exhibent

ANTON. CORSETUS *in Conſil. n. 116.*

BERNARD. de BUSTI *in Defenſor. tr. 2. p. 4.*

GREGOR. THOLOS. *de Republ. l. 13. c. 16.*

LUC. WADDINGUS *Annal. Min. tom. 14. & 15. paſſim.*

BALLARIN. *De Uſur. tom. 2. in Append. Opuſc. I.*

(d) CAROLUS SIGONIUS *de Epifcopo Bononiens. lib. 5.*

(e) Literarum confirmationis initium est: *Ad Sacram B. Petri Sedem.*

§. 312.

Variis Privilegiis, & Gratiis Pontificiis muniti fuerunt hi Montes, imò etiam in multis locis à Jurisdictione Epifcopi omnino exempti. Concilium tamen Tridentinum Anno 1562. eos Epifcoporum viſitationi ſubjecit. (a) Cùm autem

*Authori-
tate Sum-
morum
Pontifi-
cum:*

autem illis temporibus ejusmodi Montes non parùm à veteri pietate deficerent, voluit S. Carolus Borromæus, ut in sua Provincia ad illos erigendos adhiberetur auctoritas Summi Pontificis. (b)

(a) *Sess. 22. c. 8. de Reform.*

(b) *In Conc. Prov. Mediolan. I. anno 1565. celebrato, Constit. part. 3. tit. 1. in fin. statuitur, ut Episcopi omnem curam & operam suam conferant ad erigenda & instituenda ex auctoritate Summi Pontificis loca pia, quæ Montes Pietatis appellantur, in singulis civitatibus & insignioribus oppidis, unde mutuas pecunias pauperes possint accipere. . . Principes autem & Magistratus obsecramus, ut ea in re Episcoporum studium & diligentiam omni ope adjuvent; nec in eis quidquam præter sortem, nisi pro ministris & aliis necessariis sumptibus, idque ex Summi Pontificis auctoritate accipiatur.*

§. 313.

*Recens
Clementis
XI.*

Recentius exemplum dedit CLEMENS XI. Pontifex, qui Montem frumentarium fundavit Urbini in Patria sua, cum dote 700. modiorum frumenti, qui quot annis mutuo pauperibus dari debeant, ad hoc, ut ejusmodi subsidio propriis necessitatibus consulere possint, & agri præsertim culturam deserere non cogantur.

Ita narrat ipse Pontifex in *Const. inter multiplices*, §. 3. anno 1721. in *Bullar. Rom. Cont. p. 6. fol. 606. edit. Luxemb.* Literæ tamen istæ non fuerunt expeditæ à Clemente, morte prævento, sed postea editæ ab Innocentio XIII. uti habetur in *Bullario Clementis XI. part. 1. n. 105.* unde datæ referuntur à Clemente 14. Kal. April. qui est dies obitus Clementis: confirmatæ autem ab Innocentio XIII. 7. Id. Maji ejusdem anni 1721.

§. 314.

*Et Benedi-
cti XIV.*

Nuperrimè scribitur Mons Pietatis erectus cum facultate BENEDICTI XIV. cum fundo 300000. scutorum, ex quo cum onere trium scutorum annuorum in singula centena, mutuum sumerent communitates aliquæ, quæ aliis
pe-

pecuniis destitutæ reperiuntur, ad resarciendum damnum, quod nupero bello, exercitibus exteris in territorio Pontificio commorantibus, passa est Camera Apostolica.

§. 315.

Constitutis per plerasque Italiæ Civitates Montibus Pietatis, providendum adhuc erat de modo eos conservandi & augendi. Variæ excogitabantur viæ augendi summam Capitalementem Montis, ut pluribus posset subveniri. Sic GREGORIUS XIII. (a) conspicatus, deposita Judicialia penes Notarios Actuarios non semper tutissimo esse loco, postquam has pecunias pendente lite utiliter in usum pauperum impendi, statuit, ut, quando in Tribunalibus Romanis actualis pecuniarum depositio ultra summam scutorum quinque, ex Judicis decreto locum habet, pecunia penes Montem Pieratis Romanum, seu illius Depositarium deponatur, sive dein de ipso debito litigetur; sive debitor quidem sit certus, lis tamen inter alios, qui se creditores jactant, versetur, sive ad evitandam moram debitor, qui creditoris sui copiam non habuerit, velit pecunias in Monte actualiter deponere, quæ creditori venienti possint liberè consignari. Jubentur autem Montis Provisores & Ministri ita esse in conservatione fideles, & consignatione celeres, ut cæteri etiam non litigantes, ad deponendum penes eos alliciantur.

Variisque modis augentur.

(a) *Const. inter multiplices. 94. tom. 2. apud Cherubin. Varias declarationes & extensiones addidit CLEMENS VIII. Const. 88. tom. 3. ibid.*

§. 316.

Alia demum, & multis dubitationibus (a) obnoxia via augendi Montes Pietatis, inventa fuit, qua mutuas pecunias à divitibus Mons acciperet, cum onere præstandi illis aliquos fructus annuos, quos dein pauperes, mutuum à Mon-

Unde orti Montes mixti:

Z 3

à Mon-

à Monte petentes, compensarent. Montes hos *mixtos* vocant, quòd nonnihil à puris Montibus Pietatis deficient, (§. 270. II. III.) & aliqua ratione accedant ad Montes profanos. (*ib.* I.)

(a) Quod *Ecclesiastes VII. 30.* dicit de homine, quòd fecerit *DEUS hominem rectum & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*; id applicari potest Montibus Pietatis, qui in prima sua fundatione erant undequaque pii & recti: dum autem majora incrementa sumpserunt, plurimis quæstionibus, & controversiis Theologorum se involverunt.

§. 317.

*Ad quos
intelligendos*

Ut igitur naturam Montium *mixtorum*, in quorum gratiam hæc fusior explanatio potissimum facta est, rite intelligamus, interferenda aliqua sunt de Montibus *Profanis*. Quamvis enim isti magis ad negotium cambiale, quam ad Montes Pietatis referendi sint, opportunus tamen locus hic esse videtur de iis loquendi.

§. 318.

*Explicandi sunt
Montes profani.*

Occurrunt frequenter necessitates tum publicæ, tum privatæ Nobilium, ac etiam si bona immobilia spectes, divitum familiarum aut personarum, ad quas sublevandas nequaquam sufficiunt modicæ summæ, quas subministrant Montes Pietatis, sed magna subin opus est pecuniæ quantitate, & quidem extemporanea. Huic cumulandæ varii modi sunt inventi. In Italia retinent nomen *Montium*.

§. 319.

Liberaltate divitum deficiente,

Antiquissimus est hic mos, magna pecuniæ præsentaneæ quantitate, erigendi lapsam fidem ærarii publici & privati, simulque restituendi neglecta commercia. Memorabile est, quod narrat *GREGORIUS Turonensis*. (a) Desideratus Episcopus Virodunensium, volens incolas hujus urbis

urbis, ope negotiationis ad pinguiorem fortunam erigere, mutuas ad id perficiendum petiit pecunias à Theodeberto Rege, cum usuris legitimis reddendas. Præstitit Theodebertus septem aureorum millia, quo subsidio adjuti Virodunenses, commerciorum usu divites effecti sunt. Rex autem de felici successu tam sibi, quàm Episcopo gratulatus, solita sua clementia totam summam debitam remisit, nec ab Episcopo oblatas pecunias recepit.

(a) *Histor. Franc. lib. 3. n. 34.*

§. 320.

Rari hodie liberalitatem Theodeberti imitantur. Ad promovendam utilitatem publicam nulla potentior trahit machina, quàm utilitas privata. Unde instituti sunt *Montes*, quorum exempla antiqua fuerunt in civitate Veneta, Genuensi, & Florentina. (a) Quamvis enim hoc loco non limus agere de Tabulis publicis, *Land-Banquen / Wechsel-Banquen* / quæ primariò ad promovendum commercium, & sublevandam mercaturam sunt introductæ: nihilominus dictorum Montium mentio obiter facienda est, quia his originem videntur debere reliqui Montes.

Congesta cum lucro pecunia exempla vetusta habemus

(a) De his Montibus doctè & fusè discurren CONRADUS SUMMENHART *de Contract. quest. 44. & 45.*

COSMUS PHILIARCUS *de Offic. Sacerdot. tom. 2. lib. 5. c. 20.*

§. 321.

Montis *Veneti* initia ad sæculum duodecimum revocat PETRUS JUSTINIANUS, (a) his verbis: quia assiduis bel-
lorum impensis exhaustum erat ærarium, pecuniam ex depositis constatam Patres maturo consilio in Divi Marci Sacrarium ad opportunos Reipublicæ casus reponendam curarunt, ac tamdiu sub
publi-

In Monte Veneto:

publica custodia servandam, quoad civitatis status in meliorem fortunam restitutus esset: hodie IMPRESTITA appellantur. (b)

(a) *Hist. Rev. Venet. lib. 2. fol. 25.*

(b) De Impræstitis Venetis legi meretur famosum Consilium PETRI ANCHARANI.

§. 322.

Genuens:

Montem *Genuensem* accuratè describit PETRUS BIZARIUS. (a) Loquens enim de Magistratu S. Georgii, sic dicto, quòd plerumque in ædem D. Georgio sacram, & prope plateam Banchorum ad litus maris sitam, convenire soleat, inter alia tanquam magnæ prudentiæ specimen commendat, quòd Reipublicæ Status necessitate belli, vel quavis de causa in aliquam angustiam coniectus, paratum habeat cogendæ & expediendæ pecuniæ modum, scilicet ut qui publico ærario præessent, à privatis civibus pecuniam mutuo sumerent: isti verò fructum pecuniæ suæ, ratione decem, novem, octo & quandoque septem aureorum pro centenario, ut vocant, prout scilicet temporis ratio ferret, reciperent: quo sanè artificio ad utilitatem publicam excogitato, nervus ipsius Reipublicæ supra modum crevit & auctus est, ita ut dum cives propensione quadam, nullo impendii metu deterriti, salutem publicam consulunt, hoc videantur assequi, ut etiam cum lucro privato commodum publicum haud parùm juvent. Ad majorem tamen, versuram facientibus præstandam cautionem, pergit Bizarus, interdum vectigalia publica, puta vinorum, portoriorum, & que frumentariæ ad tempus elocare ac permittere solent, quod ipsi novo, sed patrio idiomate *Pedagium Gavi* vocant. Senatus-Consulto cautum & sancitum est, ut quicumque Reipublicam centum libris juvaret, haberet locum in elocationibus vectigalium publicis unum: qui verò ducentis adjuvisset, pari numero duos locos fortiretur, & sic deinceps,

ceps, pro quantitate scilicet pecuniæ, parem in publico Jure rationem assequeretur. . . Harum emptionum cognitio, regimen & cura ad octo cives, quos Protectores vocant, prudentia & dignitate conspicuos, ut versuram facientibus ex vectigalibus publicis satisfieret, delata, & summa cum religione demandata fuit: quibus postea Anno 1444. aliud inferius Collegium adjunctum fuit. (b) Ad quantam celebritatem hi montes, Venetus & Genuensis, hodie excreverint, toti orbi notum est.

(a) *Histor. Genuens. circa fin. fol. m. 797. seqq.* scripsit hic Author circa Annum 1579.

(b) Religiosè & fideliter ab hoc Senatu administratum esse Montem S. Georgii, ex eo etiam colligere licet, quòd nihil circa hos Senatores immutatum, aut emendatum fuerit in novis Legibus Genuæ statutis Anno 1576. per Legatos Pontificis, Imperatoris, & Regis Hispaniarum, quas Historiæ suæ subjicit in fine BIZARUS.

§. 323.

Montis Florentini æquitatem & naturam inter antiquiores doctissimè examinat LAURENTIUS de RODULPHIS, (a) & ipsius fere verbis S. ANTONINUS. (b) Florentina nempe Communitas, ut dicti Doctores loquuntur, pecunia indigens, civibus suis onera imponit, quæ vulgari sermone *Præstantias* appellamus, ad quas solvendas quilibet etiam invitus compellitur. Quousque autem fors restituitur, solvuntur quinque aut plures aurei pro centum: appellanturque tales Creditores Montis. Sæpe his Creditoribus, vel aliis, in quos illi jura sua transferunt, tanto tempore accedunt dicti annui reditus, ut adæquent, aut excedant sortem. Ad conscientiam autem ab omnibus scrupulis exonerandam, statutum est, ut istud augmentum detur, tum pro damno & vero interesse, tum etiam tanquam spontaneum, liberum, & merum donum, nec creditores alio, quàm donationis titulo, recipere illud censeantur. (c)

Et Florentino.

Aa

In

In hoc Monte, ut idem Laurentius narrat, aliquando dabantur 5. pro 100. & hic appellabatur *Mons Vetus*. Postea 15. pro 100. tempore, ut ipse putat, belli cum Pisanis & aliis gesti. Hæc annua præstatio redacta dein fuit ad 10. & hic appellabatur *Mons novus*. Denique circa annum Domini 1380. statutum fuit, ut fieret *Mons novissimus*, & dentur tantum quinque pro centum.

(a) *Tract. de Usur. part. 3. n. 12.*

(b) *Summ. p. 2. tit. 1. c. 11.* Montem Florentinum à S. Antonino habuisse originem tradit FILLIUCIUS *Quest. Moral. 11. 34. part. 2. n. 192.* & ex ipso alii. Intelligi hoc debet de alio Monte, quam de quo hic loquimur. Nam pridem ante S. Antoninum Archiepiscopum Florentinum, qui sæculo XV. vixit, floruisse hunc Montem, ex dictis patet.

(c) Hic titulus donationis vehementer displicet AUGUSTINO MONTALCINO Ord. Prædicat. in *Summa Casuum Conscientiæ*, quam inscribit *Lucerna dell' Anima*. ubi *cap. 20 §. 1. n. 5.* observat, hanc portam liberalitatis à Republica, vel Principe, in iis solum circumstantiis aperiri, in quibus Romani aperiabant templum Jani, scilicet in maxima necessitate, ubi donum non est liberale, sed coactum, quia quis alia ratione non potest se à necessitate liberare. Sed hoc argumentum probare nimium, jam sæpius notatum est; tollerentur enim omnes contractus circa ea, quæ ad vitam servandam sunt necessaria.

§. 324.

*Eadem
re ratione*

Ad horum antiquiorum exempla plurimi variis temporibus erecti sunt Montes in Italia, Romæ præsertim à Summis Pontificibus, constituti plerumque super vectigalibus, vel aliis rebus immobilibus frugiferis, ex quibus annum emolumentum præstatur iis, qui pecunias in Monte collocant. Eriguntur enim tot loca Montis, quot centenarios monetæ cujusdam conferri desiderat Princeps: pro singulis autem centenariis solvit Mons 4. 5. aut plures ex designatis redditibus. Exempli causa: desiderantur trecenta millia

millia Ducatorum. Constituitur igitur Mons complectens ter mille loca: horum singula emuntur centum ducatis: designantur autem fixi & annui reditus quindecies mille ducatorum ex vectigalibus, vel aliis bonis immobilibus. Ex his redditibus quinque ducati annui respondent singulis locis: adeò ut quot centenarios Ducatorum quis posuerit in Monte, ad totidem quinariorum Ducatorum annuatim percipiendos sibi jus acquirat. Summa enim 300000. continet ter mille Centenarios: & Reditus ad 15000. ascendens, continet ter mille Quinariorum: adeoque singulis Centenariis in Monte positis respondent singuli quinarii ex redditibus percipiendi. (a)

(a) Solent communiter Montes ita constitui, ut Reditus sint stabiles, & semper iidem, adeoque pensio annua etiam eadem. Si verò Reditus Montis variantur, ita ut sint modò majores, modò minores; deberent etiam pensiones annuæ variare. De hac autem conditione debet à principio constare, & obligatio utraque ex parte ad id dirigi.

§. 325.

Hæc loca Montium, præsertim si non ad vitam deponentis, sed perpetua erigantur, sunt in commercio, & ac-
Constituantur alii Montes profani,
 censentur rebus immobilibus. (a) Potest enim quilibet
 Montis creditor jus suum alteri cedere, legare, ad hæredes
 transmittere, vel etiam vendere. Et hac ratione loca Mon-
 tis nunquam vacant, nisi summa Capitalis deponenti fuerit
 reddita: vocanturque Montes *non vacabiles*. Eriguntur ta-
 men nonnunquam Montes *vacabiles*, quorum loca per mor-
 tem deponentis absque ulla restitutione summæ capitalis
 vacant, & ad Principem redeunt, ita ut postea ab alio pos-
 sint competenti pretio rursus comparari. Talia loca Mon-
 tium sæpissimè dantur in dotem filiabus, pro casu Matri-
 monii vel carnalis, vel spiritualis ineundi. Nonnunquam
 Princeps liberam sibi reservat facultatem reddendi pretium,
 Aa 2. quod

quod accepit, ac proin redimendi annuam pensionem, quam vendidit, quamvis emptor seu Montista jus non habeat repetendi pretium: & hi Montes vocantur *Redimibiles*. Alii sunt *non redimibiles*, quando Princeps ex pacto sibi jus & facultatem ademit restituendi pretium, ac tali ratione census extinguendi.

(a) *Rot. Rom. coram Jacob. Emerix decis. 1147.*

§. 326.

*Quorum
loca di-
verso pre-
tio emun-
tur,*

Pretium, quo isti Censui emuntur, non est æquale omnibus locis aut temporibus. Quando Montes sunt vacabiles, minus est pretium, quàm sit, quando non sunt vacabiles. Nam pretio 100. aureorum in Montibus vacabilibus emitur annua pensio 10. aut 12. aureorum: in cæteris pensio 5. vel 6. aureorum. Cùm enim loca empta in Montibus vacabilibus obitu emptoris vacent, jure omni tam ad annuas præstationes, quàm ad summam capitalem repetendam extinguendo, hinc majus periculum emptor subit, & jus magis incertum emit. Eadem ratione multo majus datur pretium, quando Montes redimi nequeunt, quàm sit, cùm redimi possunt.

§. 327.

*Et trans-
feruntur:*

Similiter quando hæc loca, seu jus ad annuam pensionem ex Monte percipiendam, ab uno creditore in alium transferuntur per venditionem, majore vel minore pretio id fieri solet, prout temporum diversitas majorem vel minorem annuæ præstationis securitatem, aut diurnitatem promittit. Mercis enim, vel emptorum raritas aut copia, vel aliæ circumstantiæ pretium augment vel minuunt, ex communi æstimatione hominum. Sic loca Montium, ubi percipiuntur 5. pro 100. passim venduntur pretio 116. 112. 109. Ille tamen, qui Montem redimibilem constituendo,

singul-

singula loca vendit 100. aureis, potest etiam quocunque tempore ea redimere eodem 100. aureorum pretio. (a) Longè minorem autem æstimationem habent loca Montium vinculata, ubi venduntur census vitalitii ad vitam certæ personæ. In his transferendis consuetum pretium, etiam ubi juvenes & robusti vendunt, vix & rarò ad aureos 30. ascendere solet, quando pretium intrinsecum est aureorum centum. (b) Maximè autem varium est pretium in illis Montibus, quorum annuæ pensiones non sunt stabiles, sed modò majores, modò minores juxta diversitatem Redituum, super quibus Mons constituitur. (§. 324. a.) Crescit enim, vel decrescit locorum æstimatio juxta spem majorum vel minorum Redituum.

(a) CARD. de LUCA de Regalib. disc. 33. n. 3. seqq.

(b) *Ibid.* disc. 31. n. 16. & disc. 30. ubi bene notat, in statuendo pretio locorum Montis ad vitam hominis durantiam, non posse duci regulam ex computo annorum & ætatis, tradito in l. computationi. 68. ff. ad Leg. Falcid.

§. 328.

Singularis est conditio quorundam Montium, (a) quorum negotium ita se habet. Princeps indiget centum aureorum millibus: designantur certi Reditus quinquies mille aureorum, ex quibus singuli quinarij annui pro singulis centenariis dantur iis, qui pecunias quæsitæ conferunt, hac conditione, ut morientium pensiones omnes accrescant semper iis, qui sunt superstites. Horum igitur Reditus quotidie majores fiunt, quo plures moriuntur ex primis Creditoribus Montis, adeò ut mortuis reliquis omnibus, tota pensio annua 5000. aureorum, demum ad unicum superstitem transferatur. Hac spe alliciuntur multi ad celeriter contribuendum, cum fieri possit, ut centum aureis in monte collocatis, habeant aliquando mille, bis aut etiam quinquies mille aureos annuatim, si jam unus aut pauci ex

*Singularis
modus
contra-
ctus vita-
litii.*

toto Creditorum numero sint superstites. Princeps autem, quamdiu unus ex Creditoribus vivit, solvit annuatim quinque millia aureorum, scilicet ad rationem 5. pro 100. Mortuis postea omnibus, liber manet ab omni onere, tum censuum solvendorum, tum summæ capitalis restituendæ. (b)

(a) Hos suo tempore noviter inventos esse Neapoli, memorat CARD. de LUGO de *F. & F. disp.* 25. n. 201. seqq.

(b) De æquitate horum Montium vid. de LUGO loc. cit. GIBALINUS de *Usur.* lib. 4. c. 7. art. 3. n. 5.

§. 329.

*Exempla
Montium
Profano-
rum.
Mons Ju-
lius:*

Juvat exempla pauca (a) Montium juxta prædictas formulas (§. 324.) in Italia erectorum, adjicere. Famulus est Mons *Julius*, quem Julius III. Pontifex, ex suo nomine nuncupatum, calamitate temporum paratas pecunias exigente, anno 1551. erexit, in *scutis auri in auro cunei Itali* ad rationem librarum quatuor monetæ Bononiensis pro quolibet scuto, constitutum; in quo pecuniam ponentes annum fructum similium scutorum octo pro centenariio annuatim acciperent. Pro dote, ex qua fructus isti penderentur, assignata sunt novem millia scutorum auri ex redditibus quibusdam Civitatis Bononiensis. Urgente necessitate, mox altero anno Julius auxit hunc montem, collatis 50. scutorum millibus, & assignatis ex Camera Bononiensi aliis quatuor millibus scutorum in fructum annum montistarum. Hos fructus reduxit S. Pius V. anno 1568. de scutis octo ad scuta septem pro centenariio, & super proventibus ex hac reductione vacantibus, alium montem, seu potius alia loca in eodem monte ad favorem Cameræ Apostolicæ jussit erigi, eadem loca vendendo *in scutis auri in auro de Zecca boni auri & justis ponderis*. Demum Innocentius XI. anno 1680. perpendens, quod fructus præfati Montis Julii, ad rationem 7. pro 100. nimis excedant solitum.

tum aliorum montium redditum, eos reduxit ad annua scuta 4. pro 100. concessa tamen montistis electione vel remanendi in monte cum hac reductione, vel recipiendi summas Capitales in monte positas. Hæc reductio causam præbuit liti. Nam montistæ, tum illi, qui summam Capitaalem sibi restitui, tum qui fructus & præteritorum & futurorum annorum percipere voluerunt, id sibi præstari petierunt *in scutis auri in auro*, vel juxta valorem aureorum eo tempore currentem, singulos scilicet aureos æstimando quinque libris Bononiensibus & solidis duobus, licet valor eorum sub Julio Pontifice solummodo quatuor libras Bononienses æquaret. (b)

(a) Plura exempla horum montium videre licet apud PETR. GREGOR. THOLOS. *de Republ. l. 13. c. 16.*

(b) Vota doctissima in favorem Montistarum videre licet, inter Opera Nicolai Rodriguez FERMOSINI. *tom. 13. Vol. 1. §. 2.*

§. 330.

Paulus IV. Pontifex, in Constitutione sua, quæ incipit, *Mons Novennalis*, memorat, debitum à Camera Apostolica, jam antea multo ære alieno gravata, ratione exequiarum Julii III. & Marcelli II. instruendique Conclavis, contractum, summam centum millium scutorum auri transcendere, pro quo *intolerabile interesse* solvendum sit. Hinc sub idoneis Fidejussoribus & hypothecis erigit montem *Novennalem* nuncupandum, ad novem tantum annos duraturum, ac iis elapsis mox reddita summa Capitali extinguendum, pro tot personis, quot pecunias suas in eo usque ad summam centum & octuaginta septem millium scutorum auri, ad rationem decem Juliorum pro quolibet scuto, posuerint: & assignat scuta 14960. super subsidio quartæ partis fructuum Congregationibus Regularibus Italiæ imposito, ex quibus montistæ ad rationem octo pro cen-

centenario singulis annis, & quolibet bimestri ratam eorundem octo, sine aliquo conscientiae scrupulo, seu restitutionis onere percipere & habere possint.

Integras literas vid. in Bullario Separato Pauli IV. edito Rome 1556. fol. 12. Prorogatum hunc Montem ad majorem pecuniae quantitatem, sed fructus ad 7. pro 100. reductos, refert THOLOS. loc. cit. n. 12.

§. 331.

Mons Alumeriarum:

Idem Paulus IV. erexit montem *Aluminarium*, seu ut vulgo vocant, *Alumeriarum*, pro negotiis Aluminis Tulphae, primum usque ad duodecim annos, ad rationem 12. pro 100. Confirmavit eum Gregorius XIII. perpetuumque fecit, reductis fructibus ad 5. pro 100. (a) Quomodo autem ratione expensarum in Cruciatam contra Infideles, dein etiam per concordiam inter Camera Apostolicam, & quendam de familia Frangipania, dominum castri Tulpharum, vena Aluminis concessa fuerit eidem Camerae, narrat Card. de LUCA. (b)

(a) THOLOS. loc. cit. n. 13.

(b) Tr. de Regalib. disc. 147. n. 30. & 9.

§. 332.

Mons pro ubertate procuranda:

Idem Pontifex, Anno 1555. timens penuriam frumenti in Urbe Romana, aliam montis speciem pro eo aliunde advehendo, erigi curavit. Cum enim hoc negotium sine maxima pecuniarum summa, quam ipse ad praesens, ipsius Romanae Ecclesiae facultatibus ad victum Pontificis, ne dum ad hoc non sufficientibus, subministrare nequiret, confici non posset: mandavit motu proprio, & ex certa scientia, ut Praeceptor & Deputati Hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe, Ordinis S. Augustini, super ipsius Hospitalis Casalibus, & domibus, ac aliis bonis tot annuos census, quot summam 30000. scutorum auri in auro conficere possint, ad

ad triennium, & deinde ad beneplacitum constituerent, & eos ad rationem octo seu novem, vel ad summum decem pro centenariis singulis annis solvendorum venderent, ac illorum pretium Cardinalibus super procuranda ubertate annonæ specialiter deputatis, per hos in emptionem tantæ quantitatis frumenti, quanta per eos emi, & ad urbem de-
vehi poterit, convertendum, consignarent. Pro indemnitate autem dicti Hospitalis, mandat, ut frumentum inde emptum in horreis per Hospitalis Deputatos constituendis deponant, & prout in dies vendetur, illius pretium, donec præfati census penitus extincti fuerint, hospitali consignarent, amplissima insuper hypotheca constituta &c.

Breve, quod incipit, *Cum nobis*, super hoc negotio exhibetur in cit. Bullario fol. 6.

§. 333.

Sixtus V. Pontifex ad Provincias suas sicariis aliisque *Mons Pa-*
fœlestis hominibus purgandas, notabilem pecuniarum *cis:*
summam conferri optans, per constitutionem *Multa &*
gravia (a) Anno 1585. erexit Montem *Pacis*, non vacabilem, 300000. scutorum monetæ, decem Juliis pro scuto computatis, cum assignatione fructuum quinque scutorum cum quarta parte scuti pro centum, appropriatis in hunc finem Monti 15750. scutis titulo venditionis ex Juribus Dohanarum urbis; concessis simul privilegiis & favoribus, quibus gaudent Montes Fidei, Alumeriarum & Religionis in urbe pridem instituti.

(a) Integram Bullam refert SCACCIA de *Commerc.* §. 9. n. 50.

§. 334.

Clemens X. Pontifex in Constit. *Romanum decet Pon-* *Mons Ur-*
tificem, postquam narrasset, quos Montes Paulus V. & *sinus.*
Gregorius XV. pro commodo Familiæ Ursinæ instituerint,
Bb

rint, motu proprio anno 1671. erexit Montem non vacabilem, *Ulysinum quintæ Erektionis* dictum, 300000. scutorum, cum fructibus quatuor annuorum pro centum in favorem Flavii Ursini, ut Dux iste, gravi ære alieno pressus, minori, quo fieri possit, *interusurio*, pecunias reperire, illisque mediantibus conditionem suam meliorem reddere valeat. Dicti autem fructus constituti & assignati fuerunt super Reditibus, Juribus, & Proventibus Civitatis Brachiani, ac Castri Cerveteris, ex quibus annuam summam scutorum duodecim millium ab omni onere prorsus liberam, immunem & exemptam separat Pontifex, & separatam eidem Monti, & illius locorum futuris emptoribus applicat, & appropriat.

Integra Bulla exhibetur in *Bullar. Rom. Continuat. part. 5. edit.*
(ut inscribitur) *Luxenburg. fol. 33.*

§. 335.

Mons Religionis.

Innocentius XI. instituerat Anno 1684. Montem vacabilem, *Religionis* nuncupatum 200000. scutorum, assignatis in partem dotis 7472. scutis annuis ex fructibus, & emolumentis officii Vice-Cancellariatus, & officii Summatoris Literarum Apostolicarum. Cùm autem idem Innocentius omnia officia vacabilia ab eodem Vice-Cancellarii officio separasset; hac ratione Reditus & proventus dictorum officiorum Vice-Cancellarii & Summatoris ita diminuti fuerunt, ut non modò eorum præstantiæ, sed & necessariis tantorum munerum oneribus planè impares reperirentur. Hinc Alexander VIII. Anno 1690. restituitis Vice-Cancellario & Summistæ prioribus proventibus, hoc onus scutorum 7472. annuorum, aut minoris summæ juxta proportionem locorum vacantium, donec Mons iste omnino extingueretur, in Cameram Apostolicam transtulit.

Cit. Bullar. Contin. p. 6. fol. 11.

§. 336.

§. 336.

Ad Justitiam & honestatem istorum Montium tres *Horum* *Montium* *Justitia,* conditiones requiri solent. Prima est, ut Mons fundetur in veris redivibus annuis. Cum enim ematur jus ad annuos redivitus, necesse est, ut Mons constet annuis redivibus; tum quia emptio, est alicujus rei emptio; tum quia si pecunia solum reciperetur, & 5. vel 6. pro centum absque alio titulo, singulis annis restituerentur, usurae labes incurreretur; hoc enim esset mutuum, ex quo nihil potest accipi. Secunda est, ut non vendantur plura loca, quam ferant redivitus Montis. Id enim vendi non potest, quod non est; essetque hic potius contractus mutui, quam emptionis. Tertia est, ut Monte in totum, vel in partem casu pereunte, pereant etiam in totum, vel in partem loca empta; nam destructo fundamento, par est, ut corruat id, quod illo nitebatur. Secus, si pereat culpa domini Montis, aut si dominus Montis obligavit se etiam de casu fortuito. Unde colligitur in his Montibus intercedere veram Emptionem, proinde eorum æquitate judicandum esse juxta Leges Emptionis Censuum, de qua in sequenti Capite agendum erit.

Vid. BONACINA de Contract. disp. 3. q. 3. punct. 12. n. 11.

AZOR p. 3. l. 5. c. 10. & l. 10. de Censib. c. 23.

FILLIUCIUS tr. 34. c. 9. n. 187.

§. 337.

Curandum summo opere est, ut præter *Justitiam* horum *Et utili-* *tas.* Montium, (§. 336.) promoveatur etiam *Utilitas* communitatis. Ad hoc autem necesse est, I. ut idoneis cautionibus obtineatur fides. II. ut tanta cumuletur summa, quæ graviora usurarum onera mox tollat. III. ut moraliter absit periculum, fundi ex quo annui census pendendi debent, ad alios usus transferendi. IV. ut fundus iste divitum mercatorum

Bb 2

torum

torum usibus seruiat, eorúmque industria ad foecunditatem perducatur, suffecturam pendendis censibus, & extinguendo Capitali, præter lucrum proprium. V. ut summa fide & integritate administraretur totum negotium: quod facilius obtinetur, si pecunia quidem sit in manibus mercatorum; ab his tamen identidem rationes reddantur aliis Viris peritis, & boni publici studiosis.

Ad hos aliquo modo accedunt

§. 338.

Postquam consideravimus *Montes Pietatis puros*, qui postquam eorum causa sæpius examinata est, absque impietate reprobari non possunt: item *Montes Profanos*, quorum iustitia hoc loco supponitur ex dicendis *Cap. seq.* Superest ut in viam, à qua nonnihil declinavimus, (§. 317.) revertamur, & expendamus *Montes*, qui ex utroque superiori genere aliquid tenent, & propterea *Mixti* vocantur, quod partim *Pii* sint, utpote ad mutuum pauperibus subministrandum destinati; partim videantur à pietate degenerare, & ad *Montes profanos* accedere, cum in illis pro annuo fructu pecuniæ collocari soleant.

Montes Pietatis mixti.

§. 339.

Cum enim sæpe pecuniæ *Montium Pietatis* non sufficerent ad mutuandum plurimis indigentibus, liberalitas divitum non quidem ad donandum, sed ad mutuandum *Monti*, excitanda, ac etiam remuneranda videbatur. Unde *Montes* mutuo recipiunt pecunias à privatis personis, hisque solvunt annuos quatuor aut quinque pro centum: ut autem *Mons* seipsum indemnem præstet, tantundem exigit ab illis, qui sub pignore mutuum ex *Monte* sumunt, ultra aliam summam, pro expensis *Ministrorum*, & custodia *Pignorum* solvendam, adeò ut pauperes, quibus mutuum ex *Monte* præstatur, quibusdam in locis præter summam *Capitalem*, octo, novem vel decem pro centenario annuatim rependere debeant.

§. 340.

§. 340.

Decrevit olim Congregatio rebus Episcoporum & Regularium præposita, (a) nullo modo permitti debere, ut detur pecunia Monti, ad finem consequendi ex ea aliquos fructus, licet minimos: & si quæ sub hac conditione mutuata inveniatur, omnino restituatur. Insistebat nempe Congregatio hæc vestigiis S. Caroli Borromæi, qui constituit: (b) ne quispiam pecuniam apud Montes Pietatis deponat, vel eidem mutuo det, ut inde aliquid, ne minimum quidem lucri, aut ejus quod interest nomine, percipiat. Qui verò ex pacto quidquam ea causa perceperit, quod Monti Pietatis pecuniam vel mutui, vel depositi nomine dederit, cum eo tanquam cum usurario homine agatur ad Juris præscriptum.

Ex his
lim non
permissum
lucrum:

(a) Anno 1582. apud NICOLIUM *lucubrat. Fur. Civ. lib. 3. tit. 15. n. 13.*

(b) *In Concilio Mediolanensi II. anno 1569. celebrato. tit. 3. decret. 21.*

§. 341.

Haud dubiè has prohibitiones explicabunt aliqui de iis, qui ex intentione lucrandi pecunias in Monte collocant, & lucrum exinde absque justo alio titulo percipiunt. Nam si solus contractus depositi intercedat, certum est, non posse deponentes quidquam recipere à Monte intuitu hujus depositi. Quamvis autem nomen Depositum retineatur, potest revera alius contractus, & cum eo alius titulus capiendi auctarium intervenire. Hinc si depositum transeat in mutuum, non potest quidem ratione mutui aliquid ultra fortem exigi; bene tamen vi alterius tituli cum mutuo fortè concurrentis, uti ex titulo damni emergentis, vel lucri cessantis.

Cujus perceptio
nunc varie

§. 342.

Verùm persuadent sibi aliqui, in his Montibus Pietatis deprehendisse, passim sine examine concurrentis tituli

Explicatur:

Bb 3

collo-

collocari in illis otiosas pecunias, cum auctario repetendas, quandocunque deponenti libuerit: esse insuper hæc Montium Loca commercio exposita ad eum fere modum, quo ea in Montibus profanis ordinata diximus, (§. 325.) hoc solum discrimine, quòd in Montibus *profanis* emanant Censuum in fixis & certis redditibus constituti, quorum pretium Emptor pro libitu suo repetere non potest: in Montibus autem *mixtis* nulli alii pro solvendis annuis emolumentis fundati sint redditus, quàm quos contribuunt debitores Montis, qui exinde mutuam accipiunt; & insuper Creditores Montis quandocunque libuerit, pecunias suas possint repetere. Hæc autem planè adversantur Emptioni Censuum, exactæ ad normam Bullæ Pii V. cujus observationem Italia sanctissimè proficitur.

§. 343.

*A multis
reprobatur;*

Unde censuerunt multi, usuram illicitam in his Montibus contineri, non quidem ex parte Montis, qui auctarium accipit præcisè pro indemnitate sua, scilicet ad evitandum damnum, quòd ipsi immineret ex persoluto deponentibus emolumento, nisi istud à debitoribus Montis compensaretur: sed ex parte deponentium ibi pecuniam, & accipientium inde quatuor aut quinque pro centum, nisi revera concurrat titulus damni emergentis, vel lucri cessantis. (a)

(a) Vid. NAVARR. *Consil.* 17. de *Usur.* AZOR *Inst. Moral.* p. 3. l. 5. de *Usur.* c. 9. & lib. 10. de *Censib.* c. 22. FRANCISCI PAPA-FAVA *Œctus Patavinus in decisione super hoc negotio edita.*

§. 344.

*Nisi servetur Breve
Julii III.*

Exigunt igitur isti Doctores, ut in hoc negotio accuratè serventur omnia, quæ JULIUS III. Pontifex (a) in confirmando ejusmodi Monte Vicentino servari præcepit, ubi declarat & concedit, quòd fructus pecuniarum in Monte Pietatis collocatarum, ad rationem 4. pro 100. sine ullo con-

conscientiæ scrupulo exigere & recipere liberè & licitè possint fideles illi, qui pecunias suas de facili, & commodè in emptionem annuorum reddituum, sive censuum licitorum, & permissorum, vel possessionum, seu prædiorum, ex quibus non solum quatuor, sed & quinque, & sex, & forsitan ultra pro centenariò juxta illarum partium consuetudinem perciperent, convertere possent, & nihilominus charitatis zelo, ut uberius pauperibus subveniri possit, ac nullatenus animo & intentione scænerandi, pecunias in dicto Monte deponunt &c. Duo hîc requiruntur, primò ut deponentes in Monte Pietatis pecuniam, habeant intentionem juvandi Montem & pauperes ab eo mutuam sumentes. Secundò ut ob istum finem omittant negotiationem, vel alium lucrosam contractum, & proin patiantur lucrum cessans.

(a) 8. Januarii 1555. totum Breve exhibet BALLARINUS de Usur. tom. 2. fol. 243.

§. 345.

Alios tamen Doctores valde perplexos reddidit, tum *Ab aliis excusatur ex Brevi Pauli III.* usus communis in Italia deponendi suas pecunias in Monte Pietatis, & recipiendi exinde auctarium ultra sortem, absque scrupuloso examine conditionum à Julio III. requisitarum; tum præcipuè Breve Apostolicum Pauli III. quod tanquam pro Monte Ferrariensi datum, passim in manuscriptis exemplis & impressis libris legitur, ac ab Authoribus fide dignis allegatur. (a) Ubi Conservatores & Præsidentes Montis Pietatis Ferrariæ, *piè considerantes, multa in dicta Civitate facta esse, & in dies fieri pecuniarum deposita, tam penes campsores, quàm alias personas diversas, partim pro restitutione dotium faciendâ, partim etiam ut in emptionem bonorum stabilium convertantur, ac ob alias diversas causas, EX QUIBUS INTERIM NULLUM LUCRUM PERCIPITUR; multasque etiam personas, ut pupillos & viduas, ac alios mercaturæ exercendæ inhabiles, aut illam ob periculum etiam animarum exercere nolentes,*

pecu-

pecunias habere, QUÆ NIHIL UTILITATIS AFFERUNT; & si dictis Conservatoribus, & Præsidentibus, ut de his, quæ ex denario, qui pro libra ultra sortem mutui solvitur, proveniunt, pecunias in dicto Monte ponentibus libras quinque Marchesanas quolibet anno pro centenario ultra sortem solvere, & his, qui in dicto Monte pecunias solvere vellent, ut pro illis, quinque libras Marchesanas etiam pro centenario ultra sortem absque conscientie scrupulo percipere possent, prout & simili Monti Pietatis in BONONIENSI & MUTINENSI Civitatibus aliàs ab eadem Sede concessum extitit, concederetur; dicta deposita, seu illorum major pars penes dictum Montem fierent, dictæque personæ pecunias habentes, illas libentius in dicto Monte, quàm in quovis alio exercitio ponerent, ex quo profecto ipse Mons tantum reciperet incrementum, ut &c. His supplicationibus inclinatus Pontifex, concedit & indulget Officialibus Montis, ut quascunque pecuniarum summas à QUIBUSCUNQUE PERSONIS in depositum ad effectum prædictum tantum accipere, & pro illis eisdem personis deponentibus ultra sortem ad rationem quinque librarum quolibet anno pro centenario solvere, ipsæque personæ deponentes pro pecuniis depositis, seu deponendis hujusmodi ultra sortem dictas quinque libras pro centenario recipere liberè & licitè ac absque aliquo conscientie scrupulo, seu peccati reatu, ac Censurarum Ecclesiasticarum incursum possint, & valeant &c.

(a) Hoc Indultum dicitur datum 10. Julii anno 1549. & integrum exhibetur à ZACHARIA PASQUALIGO decis. Moral. 183. n. 6.

§. 346.

Quod varie interpretatur:

Si hæc concessio, quæ haud dubiè supplicationi Conservatorum Montis Ferrariensis commensuranda esset, supponatur genuina & authentica, (de cujus contrario tamen infra dicitur) apertè conficeretur, posse in Montibus Pietatis cum jure percipiendi quinque pro centenario, collocari pecunias, quæ nihil utilitatis afferunt, sed reservantur ad causas,

etc

ex quibus interim nullum lucrum percipitur, & quidem à quibuscunque personis, quæ mercatura exercenda inhabiles sunt, aut illam exercere nolunt; verbò, possent sumi quinque procentum, non habita ratione damni emergentis, aut lucri cessantis. Hoc autem supposito, non omnino planum videtur Theologis, ex quo titulo auctarium in tali casu percipiatur, cum certum sit, Summos Pontifices non concedere auctarium ultra sortem ex mero mutuo.

§. 347.

Pasqualigus Veronensis ex Ordine Clericorum Regularium, (a) docet, licere aliquid percipere ex pecuniis in Monte Pietatis collocatis, ex hoc præcipuè fundamento, quòd Summi Pontifices possint declarare tum Legem Divinam, tum Naturalem, quòd videlicet hæc in aliquo peculiari casu non obliget, ex mutatione facta in materia, dummodo tamen declaratio rationabilis sit, hoc est, quòd ex rationabili causa lex non obliget, atque adeò declaratio non sit contra finem Legis; præsertim quando observantia Legis esset impeditiva majoris boni: atqui in præsentis casu Pontifex declarat, Legem prohibentem lucrum ex depositis supra Montem pecuniis non obligare, quia videlicet observantia ipsius esset impeditiva majoris boni. Pertinet enim ad bonum communitatis, ut sublevantur pauperes; quod cum præstet Mons Pietatis, nisi posset sublevare, impediretur hoc bonum maximè necessarium. Non posset autem sublevare, nisi apud ipsum deponerentur pecuniæ: & non deponerentur, nisi deponentes perciperent aliquod lucrum. Et ideò, si servaretur Lex de non percipiendo lucro in hoc casu, impediretur majus bonum &c. Discursum hunc Pasqualigi nec laudo, nec discutio, sed discretioni Concinianæ relinquo: ideò tamen adducere volui, ut constet non frustra Pasqualigum allegatum fuisse pro opinione P. Pichler.

Pasqualigus ob declarationem Pontificis:

(a) *Decis. Moral.* 183. Hujus rationes approbare videtur FELIX POTESTAS ex *Ord. Min. de Observantia, Exam. Eccles. tom. 1. p. 2.*

n. 2412. Decidendo autem tuetur PIGNATELLI tom. 4. Consult. 153. n. 7. seqq.

§. 348.

Alii ex titulo remunerationis:

Mitius loquuntur alii, docentes, lucrum illud, quod deponentes pecuniam ex Monte percipiunt, esse veluti quoddam præmium, seu remunerationem legitime constitutam à Principe, Communitate aut Consuetudine, ad alliciendos tanto magis deponentes, sicque subveniendum indigentium necessitatibus, eos eximendo ab intolerandis Hebræorum usuris, quas alioqui cogerentur solvere, ut propria consulerent indigentia: quod sine dubio habere debent loco summi beneficii, videntes, sic ipsorum negotium utiliter geri: adeoque tacite censentur consentire in solutionem illius interesse, quod ipsi solvunt Monti ad eum indemnem servandum. (a)

(a) Desumitur hic discursus ex LAURENTIO de RODULPHIS, & S. ANTONINO, qui hunc donationis titulum Præstantis Montis Florentini accommodant, ut supra notatum. (§. 323.) Eum tamen huc non adeo aptè accommodari, ostendit cum aliis LEOTARDUS de Usur. q. 22. n. 40.

§. 349.

Alii per emptionem Censuum:

Alii Emptionem Censuum intervenire credunt, ad quam tamen in Italia, ubi Bulla Pii V. de Censibus edita, (a) in viridi observantia est, necesse esset constituere & assignare Censum super bonis stabilibus, vel redditibus certis, ex quibus singuli portionem Censuum emant, (b) sicut de aliis Montibus profanis dictum est. (§. 324.) Necesse insuper esset juxta eandem Bullam, ut Mons quidem, quandoque voluerit, possit redimere onus solvendi annuam pensionem, restituto pretio, seu summa Capitali; Creditores autem, seu Montistæ non possint istam pro suo libitu repetere. Aliud autem in Montibus Pietatis passim fieri scimus,

ex

ex quibus Creditores, quodcumque sibi commodum est, pecunias suas repetunt.

(a) Plura de hac Bulla dicentur *Capite sequenti*.

(b) STEPHANUS à S. PAULO *Theol. Mor. tr. 4. disp. 9. n. 130.* dicit, ejusmodi census esse fundatos supra ipsam communitatem egentium, quæ communitas simul cum bonis mobilibus Montium sive pignoribus, & immobilibus, inter quæ numeratur ipsa domus, est sufficiens hypotheca. Hæc responsio non videtur esse ad mentem Bullæ Piæ, quæ non de hypotheca, sed de fundo frugifero, aut stabilibus redditibus loquitur.

§. 350.

Si rigidos Doctores consulo, quos in hac materia præ aliis commendat P. Concina, (a) notatu planè dignum existimo, aliquos ex his zelo plenos Viros, ubi de Montibus Pietatis agunt, dexterrimè dissimulare difficultatem istam, quæ fere unica circa hanc materiam in praxi quotidiana occurrit, quo scilicet ex titulo annum fructum illi possint percipere, qui pecunias in Monte Pietatis deponunt. Laudare non possum eos Morum & Theologiæ Reformatores, qui ubi potentiorum timent odium, periculosissimos scopulos tacitis velis præternavigant, nec eos, quos vulgaris erroris impetu abreptos, allidi vident, periculi admonent: dum interim occurrente modico opinionum probabilium fabulo, naufragium inevitabile altum inclamant, ac sonante tuba denuntiant, modò illis aliud non obsistat, nisi autoritas eorum, quorum modestia eos timore liberat.

*Quidam
caute evi-
tant qua-
sitionem.*

(a) Inter hos est FRANC. GENETTUS *Theol. Moral. tom. 1. tr. 4. c. 8.* ubi de Montibus Pietatis agens altum silet de Montibus mixtis. Item *Henricus à S. Ignatio*, qui in *Ethic. Amor. tom. 2. lib. 9. c. 36.* nihil quidem loquitur de iis, qui in Montibus Pietatis pecunias deponunt: ipsos tamen Montes *Mixtos* ea ratione defendit, ac si juxta phrasim Concinianam *Ovis Ingolsta-*

diensibus incubasset. Nam num. 419. sic loquitur: Cùm Montes illi publica erecti sint autoritate, in commune bonum, Principes, tanquam Patres communitatis, habentésque DOMINIUM EMINENTIALE in bona subditorum, supplere censentur, si quid aliunde ad eorum justitiam forte deesset, Montibus que concedere jus in auctarium, non titulo mutui, sed communis boni, & contributionis in illud.

§. 351.

*Ballari-
us Breve
dicit sup-
positiu.*

Quæstio igitur hæc, quo jure illi, qui in Monte pecunias deponunt, pro suo commodo repetendas, singulis annis quatuor aut quinque pro singulis centenariis reportent; post Breve Pauli III. vulgatum, (§. 345.) nodus hucusque fuit Gordius, in quo solvendo præstantissimi Doctores laborarunt, sed minimè satisfecerunt. Scindit eum recentissimè Petrus Ballarinus (a) ictu facillimo. Ait enim, non nisi ex titulo lucri verè cessantis tale augmentum posse exigi, & Breve Pauli III. pro Monte Pietatis Ferrariensi, quod omnes hucusque in errorem traxit, esse fictitium, & supposititium: facta enim diligenti inquisitione, neque in Romanis Pauli III. Regestis Brevis hujus vestigia, neque in Montis Ferrariensis Archivio aut libris authenticum exemplar reperiri: apertèque falsitatem ex eo argui, quòd Breve istud se referat ad concessionem Monti Bononiensi, & Mutinensi à Sede Apostolica factas, cùm tamen Bononienses testentur, Monti suo semper locupleti, & ad Decreti Lateranensis amissim exacto, nec unquam datam, nec necessariam fuisse talem concessionem: Mutinenses autem ab eodem Paulo III. Literas datas 22. Junii 1542. ostendant, ubi non de otiosa pecunia sermo est, ut in Breve Ferrariensi, sed sola pecunia cum lucro cessante conjuncta approbatur. Hæc Ballarinus, quo teste, Veronenses, qui jam ante medium sæculi XVI. ex falso rumore de Indulto Apostolico hac super re concessa, sine titulo lucri cessantis, pecuniam etiam otiosam apud Montem cum lucro deposuerant, postquam de abusu hoc

hoc edocti fuissent, mox ad formam à Sede Apostolica approbatam, ab iis solis, qui lucrum verè cessans paterentur, pecuniam in Monte deponendam sanxerunt. (b)

(a) Author tractatus de Jure Divino & Naturali circa usuram tom. 2. Append. Opusc. 1. c. 3. §. 3.

(b) Ibid. §. 1. n. 12.

§. 352.

Huic doctrinæ, juxta quam deponentes pecuniam in Monte, non nisi ob lucrum verè cessans, ad normam à Julio III. præscriptam, (§. 344.) annuam pensionem exigere possunt, refragari non est meum. Neque autoritas Pasqualigi tanta est, ut de veritate prætensi Brevis Pontificii me convincat. Gaudeo potius, quòd ex Italis Vir doctus & moderatus, qualem in Ballarino suspicio, hoc ulcus tetigerit: gavisurus magis, si etiam sanaverit. Unicam annecto observatiunculam. Nisi deponentibus in Monte pecunias lucrum verè cesset, auctarium annuum inde percipere absque usuræ vitio non licet, uti Ballarinus ostendit: ad lucrum autem verè cessans, tot tantæque condiciones requiruntur ex eodem Authore, (a) ut rarò auctarium titulo lucri cessantis purgatum ab usuraria labe reperiat: & tamen nihil frequentius est in Italia, quàm pecunias in Monte collocare, & inde annuas pensiones acquirere: consequenter vel debet Ballarinus plerosque Creditores Montium usuræ damnare; vel isti tenebuntur exhibere meliorem titulum recipiendi lucrum ex depositis pecuniis. Utrunque erit difficultas aliquid determinandi, quamdiu supponimus, Contractum mutui à Creditoribus cum Monte celebrari. (b) Si quis Viros doctissimos, Theologosque gravissimos opponat, qui hæc fieri passim vident, & vel ipso usu, vel saltem silentio suo approbant: ad hoc respondet nonnemo, (c) eos, qui habitant prope cataractas Nili, ex continuo & horrendo strepitu aquarum in præceps cadentium, ita obsur-

Unde plurimis Montistis moveri debent scrupuli.

descere, ut illum non amplius sentiant: eodem modo aliquos Doctores, qui versantur in locis, ubi passim vigent contractus illiciti, adeò callum obduxisse, ut ipsis nihil novi & insoliti videatur, sed potius defendi posse credant, quod aliis minus assuetis prorsus intolerabile videtur. Non optus est, ut responsum hoc faciam meum. Illud tamen magis mirum fore censeo, si quis ad ea, quæ coram geruntur, absurdescens, acutissimè percipiat & reprehendat quemcunque strepitum alibi excitatum.

(a) *Loc. cit.* §. 2. ubi n. 14. requirit, ut præter occasionem promptam, & cerè probabilem negotiationis quæstuosæ, etiam adsit efficax negotiandi voluntas: sine hac enim voluntate sicut nulla negotiatio fieret; ita etiam nullum lucrum ex quacunque prompta licet occasione rediret, quod ab ipso mutuo interceptum, justè resarciendum sit. Ipsa scilicet voluntas, quæ deest, lucri cessantis est causa, non autem mutuum. Ad titulum verò lucri cessantis diximus requiri, ut mutuum verè sit causa illius. (§. 29.) Idem docet TOLETUS *Instr. Sacerd. lib. 5. c. 33.* VALENTIA *Theol. tom. 3. disp. 5. q. 20. punct. 2. §. 5.* ANTOINE *Theol. Moral. tom. 2. tr. de Contract. p. 2. c. 3. q. 12.*

(b) Supposito Mutuo, regulariter committi usuram agnoscit etiam SCACCIA *de Commerc. §. 1. q. 1. n. 464.* VALER. RIGINALD. *prax. for. poenit. lib. 25. n. 209.*

(c) AUGUST. MONTALCINO *Lucerna dell' anima. c. 20. §. 8.*

§. 353.

*Conclusio
de Montibus
puris,
profanis,
& mixtis
in Italia.*

Ex his omnibus conficitur, sicut *Mons Pietatis purus*, ab omni labe usuraria immunis est, accipiendo à mutuataris modicum quid pro salario ministrorum, aliisque sumptibus necessariis: ita etiam Creditores Montis excusari ab usura, Deponentes quidem pecunias in *Monte profano*, propter veram Emptionem Censuum; Deponentes autem in *Monte Pietatis mixto*, propter lucrum cessans, aliúmve similem titulum, qui in alio Mutuo ad recipiendum ultra fortem Capitaletm auctarium sufficit; cùm non appareat, quis
alius

alius contractus à mutuo distinctus, ibidem celebretur. Hæc de Montibus per Italiam propagatis dicta sint.

§. 354.

II. Transimus jam ex Italia ad Montes in Belgio erectos. Vestigia Montis Pietatis apud Belgas reperiuntur Sæculo XVI. (a) dum Sasboldus Episcopus inter quæstiones anno 1588. Apostolico Nuntio & Jansonio Theologo Lovaniensi propositas, quinto loco quærit de pupillorum pecuniis ad Senatum delatis, atque depositis cum annuo moderato lucro. *Rem hanc initium habuisse censet Sasboldus ex intuitu pietatis, qua & pupillis, & egestatem patientibus occurritur, dum hi à damno majori, hoc modo liberantur, & illorum bona, dum pietati serviunt, & interesse verum patiuntur, spontanea insuper lucri oblatione fructificant.* Ferebatur etiam in favorem hujus negotii adesse Indultum Apostolicum & Episcopi Ultrajectini. Hujus Indulti tenorem nemo, ut mihi persuadeo, hucusque in lucem protulit.

II. Montium Pietatis in Belgio prima vestigia:

(a) Ex NICOLAO BROEDERSEN refert BALLARINUS *de Usur.* tom. 2. *Append. Opusc. 1. Cap. 3. n. 29.*

§. 355.

Accuratiore forma ordinati fuerunt Montes Pietatis in Belgio ad initium Sæculi XVII. (a) Cùm enim Albertus Austriacus Belgii Princeps, populum usuris gravatum videret, ut illum, quantum pro ratione temporis poterat, sublevaret, primùm constituit, ut publici usurarii, (b) qui 33. in centum exegerant, deinceps tantùm 22. acciperent. (c) In quem finem remisit eis pensionem aliquot millium aureorum, quam quot annis Principibus Belgii, nomine mæltæ aut vectigalis cujusdam solvere consueverunt. Desideranti deinde adhuc magis subditos sublevare, suggestum est consilium de Monte Pietatis instituendo: & cùm eam ad rem

Propagatio:

rem parum gratuiti subsidii ad manum esset, neque spes affulgeret aliquid consequendi, quod tanto operi etiam inchoando sufficeret, proposita fuit ea ratio, ut magna quidem pecuniæ Summa ad Censum acciperetur, cuius Canonem Mons ex ea conflatus penderet ad rationem nummi decimisexti, quo pretio Census emi in Belgio tunc solebant, mox vigesimi, & à mutuatariis recuperaret. Post serium examen, licitam hanc rationem censuerunt aliquot Belgii Prælati, duo nempe Archi-Episcopi, & sex Episcopi, qui Mechliniæ anno 1617. convenerant. Cùmque vir industrius, Wenceslaus Coberger Architectus Serenissimi Principis, formulam minutatim concepisset, qua domus idonea emi, instrui, & pecunia comparari atque administrari posset, ea à quibusdam Prælatis & Theologis examinata, in præcipuis articulis (minutoribus quibusdam peritorum mercatorum judicio relictis) tanquam Reipublicæ utilis, pauperibus ac egentibus opportuna, & à pietate commendabilis probata est 16. Novembris 1619. nec non à Principe, habito Conciliorum & aliorum doctorum Virorum judicio, tanquam talis admittenda. Quare etiam quibusdam in locis, non sine multorum gratulatione, in usum est deducta, primum quidem Bruxellis anno 1619. dein Antverpiæ anno 1620. tractante argumentum istud pro Concione Laurentio Beyerlinck, (d) mox Gandavi anno 1622.

(a) Hæc narratio desumpta est ex LEONARDO LESSIO tunc præsentis, & de Justitiâ horum Montium consulto, qui proin Appendicem quintæ Editioni Operis sui *de Jure & Just.* annexam scripsit biennio post approbatos Montes, scilicet Anno 1621.

(b) Jam ante plura Sæcula in Belgio fuerunt, qui ex Indulto Principis Mensas scænebres exercerent. Has Edictum 10. April. An. 1510. sustulerat, sed publica necessitas rursus iavexerat, ut loquitur ZYPÆUS in *notit. Jur. Belg. lib. 4. tit. de Usur. n. 3.* Tum hos usurarios, tum ipsa scænerandi commercia, ac ædes ad id destinatas, vocabant *Lombardos*, nomine deducto à
Lom-

Lombardia, seu *Longobardia*, unde istud exercitium in Belgium fuit allatum. Arcebantur ejusmodi Fœneratores, ac eorum Socii ab Officio Divino sub pœna perdendi privilegii fœnerandi & pœnis in usurarios manifestos à Jure constitutis, ut refert FLORENTIUS de COCQ. de *Jure & Jusfit. tr. 2. c. 5. Sect. 15.* addens, quantus eorum numerus Antverpiæ quondam fuerit, colligi posse ex duabus plateis, ex iisdem vocatis, de *Lombaert-Stract*, ubi dicuntur habitasse.

(c) Ut appareat, ob quas expensas tanta fuerit exacta quantitas, ZYPÆUS *Jur. Pontif. nov. lib. 5. tit. de Usur. n. 11.* refert computationem ab aliquo propositam, ubi determinatur, quantum exigere talis Mensarius possit I. ob Lucrum cessans, cum sit mercator, & eam pecuniam in publicum omnium mutuum vertat. II. Pro victu famulorum mensæ servientium. III. Pro Salariis 12. famulorum, & 2. famularum. IV. Pro mercede domus conductæ, ad tale exercitium congruæ. V. Pro linetaminibus & hujusmodi supellectile. VI. Pro Pergameno ad Billera mutuataris danda, & pro aromaribus, quibus bis de die pignora inficiuntur. VII. Pro damno in venditione pignorum minoris, quàm obligata sunt, distractorum, & quòd fallum aurum, uniones, lapides, ut probi oppignorentur, quæ peritissimos pene fallant. VIII. Pro interesse pecuniæ, quæ relinquitur mortua in cassa, ut semper præsto possit esse notabilem summam petentibus, quæ ordinariè ad bis vel ter mille libras ascendit. IX. Pro assecuratione Capitalis pecuniæ, quam tenens mensam levat in bursa ab aliis mercatoribus suo nomine se obligando ad 2. in 100. ut factoribus solvitur. Insuper satisfaciendum proxenetis pro pecuniis, quas Mensarius levat, quando sua non sufficit, cum omnibus petentibus det mutuo, tanquam ad id obligatus. Accedit æstimabile periculum infectionis pestis per illationem pignorum. Denique extra ordinem emergunt sæpe damna per infidelitatem famulorum, quorum Mensarius optatam delectum non habet.

(d) Sic ipse narrat in *Theatro vita lum. tom. 5. v. Mons Pietatis.*

§. 356.

Hi Montes Belgici à primæva forma Montium Pietatis *Differunt*
Italorum in eo præcipuè differunt, quòd non solis pauperibus, à *Montibus*
Dd bus,

bus Pietatis puris: bus, sed omnibus promiscuè sive divitibus, sive pauperibus, & quidem summæ valde magnæ concedantur, ipsique Montes non ex eleemosynis, aut donationibus fidelium, sed ex Mutuo à locupletibus dato, conflentur (a): quod tamen onus petendi mutuum ab aliis, sperabant sublatum iri per legata pia & donationes. Apparet itaque hos Montes Belgii plurimum convenire cum multis Montibus mixtis Italiae.

(a) Testatur BEYERLINCK *loc. cit.* suo tempore in civitate Brugensi, Yprensi, & Insulensi eam montium formam servatam esse, ut modicæ solum summæ, puta aliquot florenorum simul, concederentur solis pauperibus, qui mediocri portione juvantur: nihil autem vicissim penderetur pro Montium indemnitate, utpote cui à fundatoribus satis cautum fuisset.

§. 357.

Et à Lombardis usurariis: Differunt autem hi Montes à Lombardis usurariis in eo, quòd isti Lombardi solummodo lucrum ex mutuo comparandum intendant, quale tamen nullum accedit Monti Pietatis. 2. Quòd auctarium immoderatum & longè superans proportionem justorum titulorum exigant cum ingenti mutuatariorum damno. 3. Quòd Mons obligetur pauperibus dato pignore mutuare: Lombardi verò possint claudere mensas suas fanebres, dum volunt.

§. 358.

Defendantur à Belgis: Hos Montes passim defendunt Doctores Belgæ, (a) nihilque in iis fieri dicunt, quod Constitutioni Concilii Lateranensis (§. 305.) non sit conforme: probari enim in Concilio, ut Montes moderatum quid recipiant pro sua indemnitate: cum autem tantæ eleemosynarum, ac donationum summæ, quæ Monti conflando sufficerent, præsto non essent in Belgio, debuisse pro annuis Censibus pecunias comparari, pro indigentium commodo, qui proin Montem deberent indemnem præstare: an autem taxa illa, quam pri-
mis

mis annis Mons Bruxellæ exegit, scilicet 15. dein 12. in 100. sit iusta, quæstionem esse facti, peritorum Mercatorum, & aliorum, qui norunt expensas factas, iudicio definiendam: Theologorum iudicium eo tantum pertinere, ut asserant, mutuatarios ita posse gravari, ut Mons se præstet omnino indemnem: neminem fore, qui facile hos Montes damnet, si oculis usurparet, quanta Religione & sanctitate negotium istud administraretur.

(a) LESSIUS, de COCQ, ZYPÆUS locc. cit. PETRUS WAD-
DINGUS tract. de contractib. disp. 6. dub. 12. STEYAERT opuscul.
tom. 3. fol. 176. & 326. STEPHANUS à S. PAULO Theol. moral.
tr. 4. disp. 9. n. 124.

§. 359.

Affirmant tamen Recentiores Belgæ, Montibus Pietatis in Belgio parum benedixisse DEUM: Lombardos autem particulares susceptis conditionibus iisdem cum Montibus Pietatis, jam Ecclesiæ reconciliatos esse, ac mutuuum sub illis exercere commodo suo. Unde hos quoque ab usura eximunt. (a) *Demum transeunt in Lombardos moderatiores:*

(a) STEYAERT loc. cit. fol. 326. auctoritas tamen publica ex multis rationibus deberet accedere (§. 266.) Narrat STEPHANUS à S. PAULO loc. cit. n. 125. se ad restitutionem obligasse certam fœminam, quæ putabat, se opus pietatis exercuisse, dum pignora, quæ ipsi ab aliis ad Montem ferenda tradebantur, domi suæ reservabat, de sua pecunia elargiendo, sub pensione parum minori, quàm communiter in Monte solveretur. Nam in privatis personis non subsunt illi iusti tituli, ex quibus Mons ad mutuandum obstrictus, pinguis auctarium potest exigere.

§. 360.

Facile est, Montes Belgii ab usuræ crimine immunes pronuntiare. Quia ratione autem immunes censi possint illi, qui pecunias ad rationem nummi decimi sexti, seu annuorum 6¼ in 100. in Monte collocant, alterius est indagari. *Qui possunt ab usuris excusari:*

Dd 2

nis.

nis. Eadem quaestio supra (§. 342. seqq.) fuit proposita de Montibus mixtis Italiae: sed hoc loco ex aliis principiis est enodanda. Itali enim exactam profitentur observantiam Constitutionis, quam Pius V. de Censibus edidit: ex hujus autem praescripto dici non potest emptio Censuum, quando pecuniae pro annuo fructu in Monte deponuntur. Belgae verò Bullam istam in suis Provinciis nequaquam in usum deductam dicunt: unde Census annuos à creditoribus Montis emi affirmant: putantque, quæ de censu super bonis Civitatis creando, aut de Civibus ad conferendas pecunias cogendis ab Italis Auctoribus disputantur, ea planè parerga esse ad id, quod hìc controversitur. Redibit de his Censibus loquendi occasio *sequenti Capite*.

§. 361.

Nequaquam autem Mentem Mensa Hollandica.

Non est quod his addamus de Mensis Batavorum, apud quos autoritate Magistratus instituuntur Mensae publicae à Trapezitis, qui obviis quibusque foenerantur, & dant mutuo pecuniam cum certis & definitis usuris. Fatentur Doctores Batavi, in his Mensis exerceri usuram publicam, hancque licitam esse contendunt. Unde non video, cur aliqui has Mensas cum Montibus Pietatis assimilare, & ab usurariis negotiis eximere fatagant.

Vid. GIBALINUS *de usuris lib. 4. c. 7. art. 3. n. 7.*

§. 362.

III. Germani vel non indigebant Montibus Pietatis:

III. Seriùs in Germaniam Superiorem introducti sunt Montes Pietatis, tum quòd Natio hæc indole sua ad misericordiam prona, facilè subvenire soleat indigentibus; tum quòd Magistratus in his Provinciis nunquam non efficacissimis remediis & legibus, Judæorum (a) aut aliorum foeneratorum avaritiam represserit.

(a) Legibus Imperii cavetur, ne chirographa, obligationes; aliæque onerosi contractus testes literæ, ex quibus Christianus Ju-

Judæo obligetur, ullam vim probandi in judicio habeant, nisi erecta fuerint coram ordinario Magistratu contrahentis Christiani, exceptis negotiationibus & commerciis legitimis in publicis nundinis. *Recess. Imper. Augusta 1551. §. 79.* Vigere autem ejusmodi constitutiones etiam hoc tempore, nuperrimè sensit Judæus quidam, condemnatus per sententiam hujus Facultatis Juridicæ, ad quam Causa pro Revisione actorum delata fuerat. Neque permittuntur Judæi majores usuras accipere, quàm §. pro 100. *Ordin. Polit. Francofurt. ann. 1577. tit. 20, §. 6.*

§. 363.

Civitates illæ, quæ à Romanis Sacris alienæ sunt, ex eo insuper Capite à Montibus Pietatis abhorruerunt, quòd isti originem suam Pontificibus Romanis debeant. Verùm advertit ex Protestantibus nonnemo, (a) jam desuisse illam sectam, cui Ascianus (§. 257. a.) addictus fuit, quæ Protestantibus nihil recipiendum esse censebat, quod Curiam Romanam vel in minimo oleret.

Vel eos horrebant:

(a) D. SENCKENBERG *de Mont. Piet. c. 1. §. 4.*

§. 364.

Unde Montes (a) non quidem perfectissimæ pietatis, priori & præsentis sæculo in plurimis Civitatibus erectos videmus autoritate Magistratus Laici apud Viennenses, Norimbergenses, Hamburgenses, (b) Hanovienses, Ulmeneses, Castellanos, Göttingenses, Francofurtenses, Ratisbonenses, Augustanos &c. ex Politicis etiam rationibus. I. ut boni conatus juniorum artificum subsidio pecuniario sustententur, unde magnum Reipublicæ decus & commodum sperari potest. II. Ne cogantur cives deficiente pecunia merces suas pro vilissimo pretio extraneis vendere; vel ab extraneis pecunias ad annuam pensionem accipere. III. Ut opulentiores, quibus negotiationes aliæ non conveniunt, pecunias suas in Monte collocandi, commodam occasionem habeant. IV. Ne pecunia publica sit otiosa, nec Prin-

Tandem crexerunt varios:

cipis largitionibus effundatur; sed ad singulos & universos summa utilitate emolumentum inde redundet.

(a) Vernacula lingua dicuntur Pfand-Haus / Leh-Haus / Assistenz-Hülff-Haus / Schatzkammer der Barmherzigkeit.

(b) Hamburgi vocantur *Lummart*, haud dubiè corrupto vocabulo à *Lombard*, quod in Belgio obtinet. (§. 355. b.) Non enim est verosimile, quod KLOCKIUS *de arario lib. 2. c. 20.* dicit, Lugduni Batavorum fuisse quendam nomine *Lummart*, qui primus tale institutum exercuerit, unde hoc nomen ad alios postea translatum fuerit.

§. 365.

Inter quos memoratu dignus,

A scopo mihi proposito aberrare non videbor, si formam duorum aut trium in Germania erectorum Montium exhibuero. Seligo ex Episcopalibus I. *Frisingensem* præcipua laude florentem: ex Civitatibus propinquioribus II. *Augustanum*, & III. *Ratisbonensem*.

§. 366.

Frisingensis perfectissimus:

I. *Frisingæ*, nobili Baviaræ Civitate, circa initia hujus sæculi sub Episcopo Zelotissimo Joanne Francisco, erecta est confraternitas, quæ à *Charitate* nomen accepit, in id præcipuè intenta, ut per varia misericordiæ opera pauperibus subveniret. Hæc præter eleemosynas, aliâque indigentibus præstita subsidia, administrat etiam Montem Pietatis ex piorum largitionibus conflatum, unde egentibus Civibus *Frisingensibus*, qui intra breve tempus solutioni præstandæ pares fore creduntur, sub pignore vel securo hypotheca aut etiam fidejussione idonea, mutuum conceditur ad anni unius spatium, ita gratis, ut ne quidem pro salario ministrorum; aut aliis expensis, nec minimum ultra sortem capitalem præstetur. Hanc gratuitam administrationem, quam dictæ Confraternitatis membra in se suscipiunt, Fundato-

datores Montis salutari clausula firmarunt, vi cuius pecuniæ huic operi à se destinatae mox Hospitali ægrotorum applicentur, & applicatae censeantur, si Mons iste vel minimum quid sub quocunque titulo ultra sortem à mutuataris exigat. Implent igitur Confratres Charitatis Frisingenses vota Concilii Lateranensis sub Leone X. Quod monet, *multo perfectius, multoque sanctius fore, si omnino tales Montes gratuiti constituerentur &c.* (§. 305.) uberemque simul donorum cœlestium quæstum cumulant, bene gnari *artem quæstuosissimam esse eleemosynam, misericordiae filiam, licitam & sanctam quandam scænerationem, distributionem pecuniarum in pauperes.* (a)

(a) AUGUSTINUS VALERIUS *Episc. Veronens. de Rhetorica Eccles. lib. 2. c. 16.*

§. 367.

Non eadem quidem Pietate, magno tamen Reipublicæ suæ commodo, Illustris senatus Augustæ Vindelicorum ^{Augustana} Montem (a) jam pridem erectum, sed iniquitate temporis ferme extinctum, Anno 1732. restituit. Ex defectu enim talis publici ararii, Judæi vicina urbi loca inhabitantes, pecunias Augustanis civibus sub gravibus usuris mutuabant, hâcque occasione varias simul negotiationes exercebant, magno Mercatorum, artificumque Augustanorum damno. Horum igitur precibus, & proprio in Civium suorum commoda studio excitatus Senatus, tum ex arario publico, tum ex Mercatorum collatis pecuniis Montem prope Portam S. Crucis constituit, in quo opulentiores Cives abunde pecunias sub hypotheca Redituum Civitatis, hodieum collocant, pro quibus primo quidem & altero anno prorsus nihil, sequentibus dein annis moderatum censum ex Monte percipiunt. Mutuatarii autem, tum exteri, tum Cives præcipuè Augustani, quibus sub idoneo pignore ad anni spatium variæ conceduntur summæ pecuniariæ, non quidem infra 5. florenos, nec tamen regula-

gulariter ultra 1500. florenos, non solum reddunt Monti annuos Censur Creditoribus persolvendos, ad rationem 6. pro 100., sed insuper duos florenos annuos in centum pro salariis Ministrorum, aliisque necessariis impensis.

(a) Leyh- und Pfand-Haus

§. 368.

Sub statutis competentibus:

Pro majore firmitate hujus instituti, præter alios necessarios Ministrós, deputati sunt quatuor ex Senatu, & duodecim ex Mercatoribus: concessum Monti sub certis limitationibus Jus prælationis in pignora, fortè alteri obligata: cavetur ne ab aliis privatis Augustæ detur mutuum sub pignore, nisi id fiat ad minorem pensionem annuam, quàm 6. pro 100. Sub gravibus pœnis arcentur omnes Hebræi, cujuscunque sexus aut ætatis, ab ingressu in urbem Augustanam, vi Privilegii jam olim à Rudolpho Imp. anno 1599. obtenti: omnésque contractus Judæorum cum civibus Augustanis absque decreto Magistratus initi, declarantur nulli, ac cassi, exceptis legitimis commerciis in publicis aliorum locorum nundinis, aut emptione victualium pro parata pecunia.

§. 369.

Ratisbonensis:

Senatus Civitatis Ratisbonensis non quidem à mœnibus suis prorsus removet Hebræos; omne tamen commercium Civium suorum cum iisdem severè prohibet. Ut autem opportuna ad manum sit occasio obtinendi pecunias mutuas, erectus est Mons Pietatis anno 1711. ejusque statuta renovata anno 1742. Juxta hæc, majores, & minores etiam summæ obtineri sub pignore possunt, non tamen infra unum florenum Rhenanum: si pignora consistant in auro, argento, gemmis, stanno &c. conceditur mutuum ad annum; elapso tamen semestri pendendum est proportionatum interesse: si verò in pignus dentur vestes, suppellex lineæ &c. mutuum datur solummodo ad sex menses, & cla-

elapsis primis tribus mensibus solvitur pro rata temporis auctarium ad indemnitate Montis, computando sex florenos annuos in 100. Qui hac ratione solutionem consueti auctarii accuratè præstat, facillè impetrat, ut summam capitalem in longius tempus retinere liceat. Qui autem pecunias collocant in Monte, reportant inde annuos quinque, si sint Cives; quatuor autem, si sint extranei. Singulariter cavetur, ne mutuum ex Monte detur Judæis.

§. 370.

Silentio præterire non possum pium conatum, quo ab hinc biennio fundamenta jacta sunt, si non *Monti*, saltem *Colli Pietatis* à Reverendissimo D. Joanne Bernardo Mayr, Episcopo Chrysopolitano, & Suffraganeo Herbipolensi. Hic articulo 24. suæ ultimæ voluntatis destinavit 4000. Thaleros Imperiales, qui conficiunt 6000. florenos Rhenanos, ut in patria sua Laudensi initium detur fundando *Monti Pietatis*, ex quo indigentibus Civibus modicæ summæ 20. 30. aut 40. & plurium florenorum mutuò dentur, sub idonea hypotheca, absque pignore actu tradito, ea obligatione, ut duo aut ad summum tres floreni pro singulis centenis præstentur tempore autumnalis vindemiæ. Administrationem & curam reliquit Hospitali in eadem sua patria à se fundato.

*Et nuper-
rimè Lau-
densis.*

§. 371.

De Montibus Pietatis aliarum Provinciarum non opus est, ut aliquid addamus. In Gallia hæc ratio juvandi pauperes non est in usu. (a) Unde materia ista Theologos Gallos parum movet. (b) Erectus ibi fuit Mons Pietatis vi Edicti cujusdam mense Februario anni 1626. promulgati. Cùm autem appareret, parum utilitatis inde afferri indigentibus; imò gravius eos premi, mox altero anno abrogatum fuit Edictum. (c)

*Nihil ad-
ditur de
Gallia:*

(a) MARTINUS GRANDIN *oper. Theol. vol. 4. tr. de F. & F. p. 3. disp. 2. c. 2. in fin.*

Ee

(b) TOUR-

(b) *TOURNELY de contract. p. 2. c. 3. art. 7. appendic.*(c) Sic refert *CLAUD. JOS. de FERRIERE Dictionnaire de Droit & de Pratique tom. 2. V. Mont de pieté.*

§. 372.

*Aut Hi-
spania.*

In Hispania, ubi ejusmodi foundationes vocantur *Posita*, (a) erectus est Matriti Mons Pietatis pro animabus in Purgatorio existentibus, eo proventu, ut anno 1723. circiter octoginta millia, & sequenti anno septuaginta millia ducatorum monetæ illarum partium distributa, & ex eadem Montis erectione ultra centies trigesies septies mille, centum viginti tres Missæ pro earundem animarum purgantium suffragio celebratæ essent. Pro augmento perpetuo hujus Montis, *BENEDICTUS XIII.* ad preces *Philippi Regis*, Indulgentias & Suffragiorum participationem concessit iis in Regionibus Indiarum existentibus, qui in favorem hujus Montis aliquid in testamentis suis reliquissent. Demum utriusque Potestatis tam Pontificiæ, quàm Regiæ consensu ordinatum & præceptum fuit, ut nullum Testamentum in partibus Indiarum confici valeat, sive Testator sit Laicus, sive Ecclesiasticus, quin per ipsos aliqua eleemosyna pro eorum arbitrio & devotione prædicto Monti applicanda relinquatur. (b)

(a) *DE ARAUXO de stat. civ. disp. 1. q. 6. n. 8. A MOSTAZO de caus. piis lib. 4. c. 13. n. 26. Montis Cæsaraugustani à GREGORIO XIII. approbati mentionem faciunt PETRUS CENEDO ad c. 4. de usur. collectan. 41. n. 2. FRAGOSO de Regim. Reip. Christ. tom. 1. lib. 7. disp. 20. n. 31.*

(b) Literæ *BENEDICTI XIII.* datæ sunt *Roma die 20. August. 1727.* & recensentur in *Bullar. Rom. tom. 23. n. 155. edit. Luxemb.*

§. 373.

*Art. IV.
OBSERVA-
TIONES
CIRCA
MONTES*

Non abs re videtur, quasdam observationes subjungere, quibus alii Authores vel defectus nonnullos notant, vel providas ordinationes commendant in Montibus suæ Patriæ. Sperandum enim est, plures nostrarum partium Epi-

Episcopus animum adjecturos ad istud indigentia^s subsidium & perpetuum usurarum remedium, (a) eo faciliore labore & certiore successu procurandum, quo major est Germanorum Episcoporum potentia, & in subjecta territoria Principalis **Authoritas**; praesertim cum Summus Pontifex in Literis Confirmationis eos admonere soleat de erigendo Monte Pietatis.

PIETATIS
IN GERMA-
NIA ERI-
GENDOS.

(a) Sic vocat ADAMUS CONTZEN *Politic. lib. 8. c. 18.*

§. 374.

I. *Supremam Montis curam, ac Jus visitandi Episcopus sibi reservet.* (a) *Administrando autem Monti praeficiat viros opulentos, misericordes, optima^s fama^s.* (b) *Sapientissimè constituunt Imperatores, ut ad ejusmodi negotium nobilis, prudens, fidelis, optimè sibi conscius, pro integritate Mentis apponatur custos.* (c)

Circa ad-
ministra-
tionem:

(a) Hoc exigit *Concil. Trid. Sess. 22. c. 8. de Reform.*

(b) Huc applicari solet illud *Psal. 14. Quis requiescet in Monte sancto tuo? qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam. . . qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Item *Psal. 23. Quis ascendet in Montem Domini? . . . innocens manibus & mundo Corde.* Consultum est, ut erigantur Congregationes Montium, & ex iis eligantur administri.

(c) *L. 1. C. de Conditis in publ. horr.*

§. 375.

II. *Pensatis locorum & personarum circumstantiis, statuatur Expensas: quantitas exigenda à mutuataris, quae non superet expensas summè necessarias.* (a) *Unde nec plures adhibeantur Ministri, quam necessarij sint;* (b) *nec istis paucis nimis pingua concedantur salaria.* (c)

(a) Sperari non potest, ut ubique gratis Mons administretur, uti de Frisingensi retulimus. (§. 366.) Moderata tamen sint expensae.

(b) PAULUS II. Pontifex in Confirmatione Montis Perutini, qui omnium primus approbationem Pontificiam obtinuit, (§. 285.

311.) sollicitè monebat, ut si fortè major esset numerus Officialium, quàm sit necesse, isti Officiales ad debitum & convenientem numerum reducerentur. Uti habetur apud BERN. de BUSTI *Defensor. tr. 2. part. 4. lit. S.*

(c) CLERICATUS *Decis. Miscell. 41. n. 11.* laudat Montem Patavinum, quòd ex ejus annuo reditu ad rationem 5. pro 100. deducantur mercedes *amplissima* ministrorum. Ego in Germania optarem potiùs *amplissimam* ministrorum charitatem, & mercedes moderatas,

§. 376.

Fidelitatem ministrorum:

III. Caveatur, ne Ministri plus exigant à mutuatariis, quàm per Statuta Montis liceat, prorata temporis & summae mutuae.

Notat CLERICATUS *loc. cit.* inter Monetas Patavinas Bagatinum esse monetam imaginariam, quorum duodecim formant unum solidum: viginti solidi conficiunt unam libram. In Montibus igitur Patavinis datur Bagatinus unus singulis mensibus pro unaquaque libra. Unde qui recipit à Monte libras 100. solvit mensuros bagatinos 100. qui per annum sunt bagatini 1200. conficientes solidos centum, id est, libras quinque. Quando igitur mutuatarius accipit ex Monte libras 7. deberet per mensem solvere bagatinos septem. Cùm autem hæc moneta non detur, petunt Ministri solidum unum, & sic quinque bagatinos ultra taxam præscriptam singulis mensibus. Ista autem superabundantia in multis millenariis librarum conficit plura centenaria Ducatorum, quæ retinentur à Ministris pro seipsis, quia rationes tantùm reddunt de uno bagatino pro unaquaque libra. Ita Clericatus. Simili ratione fraus fieri potest, si pensio exigatur respondens integro tempore e.g. mensi, trimestri, semestri, anno; cùm tamen mutuatarius intra brevius tempus sortem restituerit. Nemo has artes probabit: nimis tamen eas exaggerat AUGUST. MONTALCINUS *c. 20. §. 3. n. 3.* ubi dicit, hac ratione vehementer augetur usuras, *tanto che i Giudei fanno poco peggio.*

Levamen solorum indigentium:

§. 377.

IV. Pecuniæ Montis mutuo dentur solis indigentibus, non Mercatoribus; neque adhibeantur ad negotiationes. Experientia

tia docet, eo magis gravari pauperes, quo majora Mons incrementa sumit per cambia aliásque negotiationes. Præstat Montem esse minùs opulentum, & magis pium. Nam si quid profani immisceatur, mox eo res perducitur, ut considerato lucro cessante, aliúsque ejusmodi titulis, demum Pietati vix satisfiat datis decem annuis pro 100. cum hoc tempore profani Germanorum loculi quinis aut senis abunde satientur.

§. 378.

V. *Pro Summis valde modicis, nullum omnino auctarium Liberalitatis exigatur.* Nam qui ejusmodi summa modica indigent, potius eleemosyna essent juvandi. Cum verò Mons Pietatis non sit destinatus ad faciendas eleemosynas, hinc saltem auctarium ultra sortem modicam facillè esset remittendum.

Pietatem & beneficentiam Montis Romani commendat Illu^r. Author libri *Dell' Impiego del danaro. lib. 3. c. 4. pag. 276.* quòd ibi minores summæ, pro quibus pignus depositum non superat triginta scutorum pretium, profus gratuitò & absque ullius emolumentì exactione, mutuo dentur: in majoribus autem summis non nisi duo pro centenis solvantur. Cum hæc hodierno tempore servantur, apparet, quòd Mons Romanus antiqua sua Statuta accuratè observet, in quibus talis liberalitas ordinatur. *cap. 36.* Bononiæ autem in Montibus Pietatis nullum auctarium exigitur, nisi pignus superet 30. Julios. *Relatione della Città e Stato di Bologna. fol. 42.*

§. 379.

VI. *Decet Montem Pietatis ejúsque Benefactores muniri Privilegiis variis privilegiis.* Sacros Indulgentiarum thesauros liberalitèter elargitur Summus Pontifex. Privilegia sæcularia facillè possunt concedere Episcopi Germaniæ, utpote Jurisdictione territoriali plerumque pollentes, e. g. ut chirographa Monti tradita, aut etiam debita solis testibus probata, habeant paratam executionem: ut Mons præferatur aliis Creditoribus non tantùm in pignore tradito, sed etiam in aliis bonis, si

fortè pignus non sufficiat, vel absque culpa Custodum deterioretur, aut pereat. *Exempla præbent ordinationes Montium typis editæ.*

De Prælatione Montis plura habet MOSTAZO de *Caus. piis. l. 4. c. 13. n. 14. seqq.* Add. TIRAQUELLUS de *Privilegiis Pio Causæ.* PEREZ de LARA de *Anniversariis cap. 23.*

§. 380.

Residuas pecunias: VII. Quod ultra salarium Ministrorum, & alias necessarias expensas superest, non aliter impendatur, nisi in emolumentum indigentium. Impossibile est, auctarium mutuatae sorti adjiciendum, ab initio fundati Montis adeò accuratè exæquare expensis ejusdem, ut ad anni finem nihil superfit, nihil deficiat: consultum etiam non est, taxationem, ab initio bona & sincera fide factam, quotidie mutare cum periculo nimiae confusionis: pariter possibile vix est, residuum iis apta proportione restituere, à quibus acceptum est. Fusè igitur Authores, quotquot ferme de hac materia allegavimus, disputant, in quos usus ejusmodi residuæ pecuniæ impendi debeant. PAULUS V. (a) sub excommunicatione Romano Pontifici reservata prohibet, ne quod in Montibus Pietatis Status Ecclesiastici, superest ultra necessarias expensas, ad alios usus, quàm in mutuuum pauperum distrahatur. SIXTUS V. Monti Pietatis Bergomensis, qui antea ad rationem 5. pro 100. à mutuatariis exegerat, concedit ut imposterum ad rationem trium pro quolibet centenario & anno exigere, & recipere, atque in expensarum & onerum hujusmodi solutionem atque supportationem convertere, & si quid, illis solutis & supportatis, superfuerit, in capitale ejusdem Montis accumulare liberè & licitè valeant. (b) Errare etiam non videbuntur, qui residuas has pecunias impendent in comparandum fundum, necessariis expensis suffecturum, ut deinceps absque ulla compensatione gratis concedi possit mutuuum.

tuūm indigentibus. Hæc tamen ratio non sufficit ad augmentum supra æstimationem expensarum consultò exigendum: sed intelligi solūm potest de augmento jam exacto, & superfluyente.

(a) *Const. Onerosa* § 2. apud Cherubin. tom. 3.

(b) *Integras Pontificis Literas exhibet BALLARINUS de Usur.* tom. 2. append. fol. 256.

§. 381.

VIII. *Procuretur augmentum Montis piis, nequaquam autem periculosis modis.* Incrementum. Pie augetur Mons per elemosynas divitum, Legata in testamentis relicta, bona peregrinorum sine hærede decedentium, multas delinquentium, incerta ex delicto &c. (§. 315.) *Periculosus* modus augendi Montem est, quando Mons triticum vendit eo tempore, quo plus valet; reddendum tempore quo minus valet, ea obligatione, ut major quantitas tritici reddatur: item quando Mons habet pecunias negotiationi expositas, & ratione lucri cessantis aliquid accipit ad sui augmentum. Item quando suscipit pecunias sub annuo censu, quem mutuatarii debent compensare Monti &c. Satius esse duco, ut Mons ex defectu pecuniæ, quosdam minus sublevet; quàm ut omnes nimis gravet.

§. 382.

IX. *Caveatur, ne in venditione pignorum nimis graventur debitores.* Prudens cautela suadet, ut mutuatario non concedatur summa exæquans pretium pignoris, sed multo minor, ne in casum sortis non solutæ Mons damnum patiatur. Si exhibeatur pignus viginti aureis æstimatum, non nisi decem dantur mutui: si tamen in pignus detur aurum vel argentum, quod securum, & fere fixum habet pretium, mutuatur summa duas partes tertias pignoris adæquans. In hujus venditione nimis gravantur debitores, quando pigno-

gnora fortè ex collusione nimis tenuiter æstimantur: quando in subhastatione fiunt expensæ minus necessariae: quando residuum non fideliter restituitur.

§. 383.

Et credi-
ta.

X. Mons ita instituatur, ut non sit necesse, creditoribus suis aliquid pendere. Optandum summopere, ut Montes sint puri, & merè ex pecuniis liberaliter collatis conflati. (§. 270. II.) Si tamen pensatis omnibus, utile Reipublicæ videatur, Montem locupletare pecuniis ad annum fructum collocatis, quæ ratio est constituendi Montes *Mixtos*: (§. 339.) curandum summopere est, ne foveatur Creditorum usuraria pravitas. Isti enim, ut licitè aliquid à Monte percipiant, vel exhibere debent legitimum titulum, præsertim lucri cessantis: (§. 351. seq.) vel celebrare contractum à mutuo penitus sejunctum, de quo hic non agimus. (a) Quacunque ratione id fiat, curandum sollicitè est, ne nimis graventur indigentes, qui desumptis ex Monte pecuniis, debent ferre expensas Montis, simulque compensare pensionem ab ipso Monte creditoribus præstitam. In iis Germaniæ locis, ubi Magistratus severis pœnis usuras cohibet, & legibus contra Judæos latis firmiter insistit, (§. 362.) vix utilitatem indigentibus afferent ejusmodi Montes mixti.

(a) Frequentissimum alibi est, ut dotes puellarum ac viduarum, aut bona pupillorum deponantur in Monte cum annuo fructu ad eos redundaturo. Si Montes sint profani, super certis redditibus fundati, (§. 318. seqq.) aut negotiationibus destinati: locus fortè erit contractui alibi explicando. In Monte autem Pietatis, qui nec stabiles habere redditus, nec negotiari supponitur, eadem difficultas his pupillis aut viduis obstat, quæ aliis Creditoribus. Etiam si enim verè pauperes esse ponantur, non apparet, qua ratione Mons Pietatis, elemosynæ nomine fructum annum illis præstare possit, ab indigentibus mutuatariis compensandum. Ea solùm liberalitas laudem mereretur, qua Magistratus ex aliis redditibus publicis annum fructum constituet: et pau-

pauperibus viduis, puellis, aut pupillis, quorum dotes & bona, interim donec ad nuptias, aut annos majores perveniant, ad usum indigentium in Monte deponuntur,

§. 384.

Ubi juxta has observationes, Montes Pietatis erigi, vel erecti reformari possunt: omnino erectio erit utilissima, reformatio necessaria. Ubi vero spes aut opportunitas non est, ejusmodi formam Montibus imprimendi, satius esse censeo, ut in Germania non erigantur novi, & destruantur antiqui.

His observationibus utiles sunt Montes Pietatis

Illustr. Author *Dell' Impiego del danaro lib. 3. c. 4. fol. 278.* sic loquitur: *Se questi disordini è possibile di rimuovergli, c'è positivo debito di farlo; se non è possibile, sarebbe forse meglio che alcuni Monti di questo genere non ci fossero.*

SECTIO VII.

P. Daniel Concina graviter violat Moderationem Pontificiam circa Titulos exigendi auctarium ultra sortem in Mutuo.

§. 385.

SANCTISSIMUS D. N. BENEDICTUS XIV. Rigorem circa Usuras Sapiientissima Moderatione temperaturus, non negat, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut ajunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturæ mutui minimè innatos & intrinsecos, fortè concurrere, ex quibus justa omnino, legitimæque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. (Diff. I. §. 7.)

Moderationem Pontificiam

§. 386.

Contra hanc Moderationem peccant, qui omnè auctarium ultra sortem, ex quocunque titulo perceptum, usuræ damnant.

Violat P. Concina,

FF

damnant. His proximi sunt, qui Titulum quendam ab aliis admissum, iis oppugnant argumentis, quæ si efficaciam haberent, æquè everterent Titulos quoscunque recipiendi aliquid in mutuo. Hujus *immoderati Zeli* reum se fecit P. Daniel Concina, cujus contra opinionem Patris Pichler, plurimùmque aliorum, prolata argumenta (§. 147. *seqq.*) omne reprobant augmentum ultra sortem, omnes impugnant titulos recipiendi aliquid in mutuo.

§. 387.

*Per argu-
menta
omnem ti-
tulum e-
verten-
tia:*

Specimen violatæ hujus *Moderationis* sumamus in titulis *Damni emergentis*, & *Lucri cessantis*, de quibus *Sect. I. §. 11.* egimus, ab ipso P. Daniele admissis. Juxta *Dialecticam Concinianam* Pater Pichler portentosam chimæram peperit, dum usuram minus strictè sumptam permitti à Principe tanquam licitam posse docuit; cum tali ratione *L ex Principis* faceret, ut usura alioquin strictè sumpta, evadat minus strictè accepta, & consequenter usura *lucratoria* evadat *licita*. (§. 164.) Eadem argumentandi methodo, *Damnum emergens*, seu *Lucrum cessans*, fortè concurrens in mutuo, facit, ut augmentum, quod absque hoc titulo fuisset usura merè *lucratoria*, evadat usura *compensatoria*, ab omnibus admissa. Ne multa, *Damnum*, aut *cessans Lucrum*, fortè concurrens efficit, ut usura *lucratoria* evadat *licita*. Cùm igitur ejusmodi paralogismi *Conciniani*, quales suprà plures allegavimus (*Sect. V. toto art. 4.*) evertant omnem justum titulum etiam ob *Damnum emergens* aut *Lucrum cessans*, exigendi aliquid ultra sortem; convincitur eorum Author graviter *violare Moderationem Summi Pontificis* circa usuras. (§. 1.)

§. 388.

*Permi-
scendo bo-
nas opinio-
nes*

Præter *Damnum emergens*, & *Lucrum cessans*, censuimus *Sectione III.* Titulis legitimis accipiendi auctarium ultra sortem, accenseri posse *Periculum Sortis* in sensu explicato.

to. (§. 38.) Non una ratione Zelus immoderatus P. Danielis se prodit circa hunc titulum. Inprimis enim nullibi firmum proponit Controversiæ statum, sed exscribit vel fingit ineptas quasdam opiniones, & arrepta exinde occasione debacchatur in Authores sibi invisos, quin eorum mentem ac limitationes vel legat, vel recenseat. Subjungo specimina veritatem hujus Asserti demonstrantia.

§. 389.

Ex libro supplicii, continente CCCXXXIII. propositiones damnandas, quem novem Archiepiscopi, & Episcopi Hispaniarum obtulisse Summo Pontifici CLEMENTI XI. anno 1717. quemque piæ memoriæ Cardinalis Belluga præsentasse INNOCENTIO XIII. & tandem obtulisse feliciter regnanti Pontifici Summo BENEDICTO XIV. narratur, decerpit P. Daniel (a) propositionem num. 158. his verbis conceptam: *Etiam deficiente titulo lucri cessantis, & damni emergentis, pignoribus adhuc pro securitate capitalis acceptis, potest exigi lucrum, etsi ad 7. pro 100. accedat, ex solo titulo periculi, & difficultatis (quæ semper accidit) sortem recuperandi.* Absurdissimam hanc propositionem, à quocunque demum traditam, permiscet P. Daniel cum opinione aliorum Authorum, qui ex periculo fortis eliciunt titulum paciscendi de Auctario. Absit perversa hæc Idea opinionis supra traditæ. (Sect. III.) *Difficultatem non attendimus, quæ semper accidit: periculum fortis non agnoscimus, quando pignora pro securitate fortis tenentur. (§. 34.)* Nec illos qui pignus dederunt, Debitores; nec qui illud retinent, Creditores appellandos putat S. Ambrosius. (b) Multo minus redimi pretio periculum potest, quod datis pignoribus evanescit. Verum periculum perdendi *irreparabiliter* sortem, aut vera difficultas recuperandi, impendeat oportet, quæ non semper accidit, nec mutuo est innata. Malè igitur & immoderato joco, opinionis supra propugnatae (§. 53. seqq.) Patre-

Cum ineptissimis:

ni iisdem cachinis deridentur, quos mereri videntur Propositiones quædam ineptæ, nescio à quibus usurpatæ.

(a) *Commentar. fol. 138.*

(b) *Lib. de Tob. c. 4.* Sic loquitur: *accipitis aurum, argentumque pro pignore, & adhuc illum debitorem dicitis, qui vobis plus reddit, quam accepit? Vos creditores asseritis, qui amplius debetis? Vos, inquam, dicitis creditores, qui non homini, sed pignori creditis.*

§. 350.

Imputando auctoribus alienam:

Non sufficit Patri Concinae, induxisse Lectores ad temerè condemnandas opiniones circa periculum sortis absque ullo insinuato discrimine diversissimi statûs quæstionis; nisi eosdem quoque inducat ad condemnandos Auctores, quos immoderati sui Zeli victimas destinavit. Inter hos est THOMAS TAMBURINUS, qui exigi aliquid proportionatum supra sortem posse statuit, *quando rationabiliter timetur periculum, vel difficultas, vel expensæ in recuperando mutuo.* (a) Postquam autem Tamburinus per vocem *rationabiliter* in conclusione sua positam, excludere se notasset casum, quo pericula ex sola pusillanimitate timentur, subjicit: *verum de Lugo innuit posse* (ultra sortem aliquid accipi ob causam ex pusillanimitate mutuantis ortam) *licet denique aliorum iudicio relinquat.* Ratio est, inquit, quia... *causa hæc immediata, cur possit quid exigi, est angor, & molestia, quæ mutuans passurus est, propter timorem amittendi sortem, quæque subire ipse non obligatur sine pretio: at hæc jam in eo pusillo adsunt: ergo &c.* Rationem in *Majore* propositione contentam ex Cardinale de Lugo exseribit Tamburinus: *propositionem Minorem* per verba *at hæc jam in eo pusillo adsunt, & conclusionis notam ergo &c.* addit hic Author ex suo, ut argumentum Cardinalis in forma Syllogistica exhiberet: nec ullo verbulo sibi placere eam opinionem ostendit. Reprehensione tamen dignus à P. Concina habetur Tamburinus, quòd *reapse concludat, in*
pusil-

pufillo hæc adesse. Imò *meditanda est prudens loquendi ratio* P. Tamburini (ut acutè observat P. Concina) dum ait, *de Lugo innuit posse*, securus, futuros esse juniores, qui probabili judicio hanc opinionem à se invecam amplexuri sint ambabus ulnis. Hæ sunt Meditationes P. Concinae, affectu nescio quo, plenæ. Credit nempe, posteriores Doctores mox tanquam certum amplexuros, quod priores solummodo ex aliis tanquam dubium retulerunt; ea ferme ratione, qua ipse P. Daniel, postquam doctrinam de angore & molestia, apud P. Thomam Tamburium legendam recensuerat, mox præfidentior post pauca folia eandem doctrinam Tamburino tribuit his verbis: *Inquit enim* (Tamburinus) *quòd justus titulus lucrandi sit angor & molestia, quæ mutuans passurus est, toto v. g. anno, propter timorem amittendi sortem &c.* (c) Nihilne immoderatum hæ falsæ imputationes continere videntur? Dein quid sentiremus de eo, qui *meditandam esse prudentem loquendi rationem* S. Thomæ diceret, dum mox ad initium Summæ Theologicæ ait, *Videtur quòd DEUS non sit*, adductis etiam pro eo errore quibusdam argumentis, securus futuros fore Atheos, qui apparentibus rationibus hunc errorem à se insinuatam amplexuri sint ambabus ulnis? Horret calamus impudentem hanc ratiocinationem: eadem tamen est, quam adhibet P. Daniel, insigni *Moderationis Pontificiæ violatione.*

(a) *In Decalog. lib. 8. tr. 3. c. 8. §. 4. n. 1.*

(b) *Comment. fol. 125. seq.*

(c) *Ibid. fol. 138. seq.*

§. 391.

Moderationis limites transgreditur P. Daniel, non solum circa P. Tamburinum, qui dictam opinionem nudis verbis, absque ullo approbationis indicio, ex Cardinale de Lugo refert: sed etiam circa ipsum hunc Cardinalem, qui

Ff 3

qui

qui cum multis & gravissimis Doctõribus tenet, (a) periculum amittendæ sortis esse sufficientem titulum paciscendi de auctario ultra sortem : in assignanda tamen hujus sententiæ ratione à plerisque dissidet. Genuinam enim Asserti sui rationem (quam nos minimè assumimus) peti debere opinatur ex angore & molestia animi, quam mutuans continuo pati debet. An autem eadem pugnet ratio, quando hic angor ex vitio pusilli animi in mutuatario oritur, id difficultate non carere censet idem Cardinalis; argumentoque pro affirmativa proposito, subjungit, se hoc aliorum iudicio relinquere. Tota autem hæc disputatio à Cardinale instituitur pro casu, in quo verum subest periculum amittendæ sortis, absque datis pignoribus aut fidejussoribus. Nam, ait de Lugo, (b) quando sub bono pignore mutuum datur, vel debitor est integræ fidei, & satis experientia notus, nullum periculum apprehenditur, sed sola carentia pecuniæ pro illo tempore, quam carentiam nequaquam pro titulo legitimo agnoscit hic Doctõr. His bene perpensis, eximia planè Moderatione opus est, ut quis P. Danielem non alterius vitii, quàm læsæ Moderationis reum agat, quando ab hoc Cardinalem de Lugo sapius incusatum legimus, quòd semper adesse doceat titulum exigendi quidpiam in mutuo. Doctrinæ enim Cardinalis de Lugo, qui angorem & molestiam animi tanquam genuinam rationem Tituli ex periculo sortis petiti adstruit, hoc epiphonema adjungit: (c) *In avaris hominibus SEMPER hæc adesse, res evidens est: SEMPER ergo illis adest justus lucrandi titulus una cum mutuo.* Cùm tamen Cardinalis ad hanc ipsam objectionem respondeat, apertissimis verbis excipiendo casum, quo sub bono pignore mutuum datur, vel debitor est integræ fidei, & satis experientia notus. Creditne P. Daniel nunquam pro securitate Mutui dari pigora? nullos esse debitores integræ fidei, & satis experientia notos? Qua igitur fide affingit Cardinali de Lugo doctri-

Strinam, ex qua semper adesse justus lucrandi titulus cum mutuo infertur?

- (a) De F. & F. disp. 25. n. 81.
- (b) Ibid. n. 84.
- (c) Commentar. fol. 139.

§. 392.

Æqualem cum Cardinale de Lugo, & Tamburino, ve^l Reprehen-
 adhuc duriorem sortem à P. Daniele experitur P. LEO- dendo a-
 NARDUS LESSIUS circa Titulos exigendi auctarium in lios ob ser-
 mutuo. Alium P. Lessius titulum lucrandi assignat, ait P. Con- vatam
 cina, (a) qui est ipsi mutuo intimus . . . quinam hic? Carentia methodum
 pecuniæ . . . quam opinionem probare nititur pluribus rationibus. Scholasti-
 Amice Lector! (Te enim compello, quando cum P. Con- cam,
 cina Moderationis omnis experte agere non lubet) quid cen-
 seres de homine, qui argueret Divum Thomam, quòd
 assignet alia entia extra DEUM, per essentiam bona; quòd
 assignet Scientiam DEI variabilem &c. easque opiniones pro-
 bare nitatur pluribus rationibus? Talis est P. Daniel Concina
 in P. Lessium. Lessius enim (b) refert solummodo dictam
 opinionem ex Joanne Medina, (c) & quibusdam à Molina
 (d) tacito nomine notatis: post relatas autem pro eadem
 tres rationes, contrarium resolvit, & ad præmissas rationes
 respondet, more Sancto Thomæ, aliisque Scholasticis usi-
 tatissimo. Et hac demum ratione Lessius assignat Carentiam
 pecuniæ, tanquam titulum lucrandi, idque probare nititur,
 nempe rationibus & responsionibus solidissimis in contra-
 rium allatis. Quid cogitandum de hoc Viro?

- (a) Commentar. fol. 141.
- (b) De F. & F. lib. 2. c. 20. dub. 14.
- (c) JOAN. MEDINA de Rebus restit. q. 32. §. Inde infertur.
- (d) De F. & F. tr. 2. disp. 308. n. 9. seqq.

§. 393.

§. 393.

Et ob modestiam:

Sed gravior sequitur accusatio, & corpus delicti in ipsa Lessii conclusione, dictæ opinioni contraria, constituitur. Animum adverte, Benigne Lector! ipsa Lessii verba recito, quibus post recensitas pro carentia pecuniæ rationes, mentem suam aperit. *Nihilominus sentio, non esse tam laxas habenas mercatoribus dandas; nec illis concedendum, ut quidquam supra sortem exigant, si illis ex carentia pecuniæ nullum lucrum cessat, nullum periculum impendet, nullum incommodum metuitur. Primo quia sententia illa videtur nova, nec illam apud Authores reperio: ac proinde in re morali tanti momenti non facile admittenda.* Novum crimen, & antehac inauditum in his verbis latet. Cohorrescis utique, Benigne Lector, ad hanc doctrinam, qua recitata, exclamare præ animi dolore cogitur P. Daniel: *En confirmatam Casuisticæ propagationis originem!* &c. An fortè adeò perspicax mentis acies tibi non est, ut ulcus Lessianæ doctrinæ detegas? Audiamus igitur P. Danielem, ingeniosissimum Casuisticæ Genealogiæ investigatorem. *Laxam, ait, & novam judicat P. Lessius hanc opinionem. Quid inde? Improbanda? absit.* NON EST FACILE ADMITTENDA. Hac enim phrasi Lessius ex mente & genio P. Concina, non improbat eam opinionem: id est, Lessius Vir modestissimus, opinionis illius Patronos non convitiis onerat, non dictis & probris saturat, non fannis & cachinis deridendos præbet, non blasphemiam aut hæreseos incusat, non ova portentorum & monstrorum foecunda reperit, non chimæras in illa opinione nidulantes persequitur: ne multa, non utitur stylo C. . . sed potius, tum pro insigni qua pollebat, animi mansuetudine, tum fortè in reverentiam Joannis Medina, cujus ea opinio fuisse videtur, tum præcipuè, ne Apostolicum Judicium præverteret, *moderatiorè phrasi ait, eam non esse facile admittendam. Crimen tenes, ô Lector: de Accusatore judica.*

§. 394.

§. 394.

Pergit P. Daniel Lessii opiniones deridendas præbere. Al- ^{Fingendo}
legato enim loco ait: (a) Lessius testatur banc opinionem ^{ex præten-}
^{damnatam, esse novam, & à se inventam.} Elegans Commentum ^{so zelo,}
in Epistolam Encyclicam BENEDICTI XIV. Recitat Les-
sius Medinæ verba, eam doctrinam adstruentia: ait, quos-
dam, referente Molina, putare, hoc titulo posse aliquid exigi:
& hac ratione testatur, ait P. Concina, banc opinionem à se
inventam. Nempe dicit Lessius, eam videri novam, nec apud
Auctores se reperisse: ergo, infert subtilis Glossator, testatur
Lessius banc opinionem à se inventam. Acutum sanè Interpre-
tem! Quis non dico latinæ linguæ, sed humani sermonis
adeò ignarus est, ut non intelligat, eam opinionem à Les-
sio non repertam apud Auctores alios, præcipuè antiquio-
res Medina, cujus pro eadem verba recitat: nec scire se, ab
aliis eam tradi quàm ab iis, quos tacito nomine allegat Mo-
lina. Sensus hic verborum utique apertus & obvius est
omnibus. Nihilominus P. Concina Lessium hujus opinio-
nis inventorem & defensorem fabulatur, & quidem ex pro-
prio Lessii testimonio, dignumque propterea, cujus deriden-
das præbeat opiniones. Quo autem fine, quo motivo incitatus
has falsitates obtrudit incautis Lectoribus? Audiamus respon-
sum Zelo Conciniانو dignum! ut animas, inquit, Christi sangui-
ne redemptas à damnatione, quoad valeo, præservem. Hac ani-
mas salvandi ratio videtur nova, & à P. Daniele inventa, nec
illam apud Auctores humanitatis non expertes reperio: ac pro-
inde in re tanti momenti non facillè admittenda. Cui hæc crisis
videtur nimis moderata, poterit ille aliam seligere in obvio
quovis folio librorum Concinianorum occurrentem.

(a) Comment. fol. 142.

§. 395.

Id solum observo, P. Daniele, qui opiniones Lessii, planè non
Cardinalis de Lugo, & Tamburini parum fideliter refert, laudabili:

Gg

ne-

nequaquam id dolo malo facere. Ipse enim sollemnissimè protestatur (a) contra atrocissimam calumniam, qua truncatos adulteratosque textus, cum monstruosas Casuistarum opiniones in medium affert, à se productos nonnulli clamant, illósque provocat, ut vel unicum dolo malo obtruncatum designent. Si ab alio Scriptore dicerentur, quæ P. Concina allegatis locis scripsit, fortè adulteratus textus Tamburini, truncata sententia Cardinalis de Lugo, doctrina Lessii truncata simul & adulterata crederetur, difficillimèque sibi quis persuaderet, hæc fieri ad eum finem, ut animæ Christi Sanguine redemptæ à damnatione præserventur. Sed melior præsumptio stat pro P. Concina. Optandum ut, quoniam præsumptionem & præscriptionem sæpe solet confundere, (Not. post §. 200.) ex bona præsumptione non inducat malam præscriptionem adeò indignis modis exagitandi Scriptores optimos, quorum opiniones omnes nec nos sequimur, nec ut ipse sequatur, exigimus: ut tamen in iis impugnandis non omnis Moderationis obliviscatur, illorum Dignitas, Pietas, & Doctrina jure optimo deposcit.

(a) Comment. fol. 138.

§. 396.

Tradendo
doctrinas,
qua generalitate
sua

Pergamus ad ea, quæ Sectione IV. de Jure Pignoris didicimus. Patet, securitatem de recipienda sorte, cui periculum facti opponitur, non esse pretio dignam apud P. Concina, qui solum videtur probare periculum Juris; alterum autem, quod facti vocamus, periculum amittendæ sortis innatum esse cuivis mutuo, & intrinsecum, consequenter pactum de hoc periculo compensando iniri absque crimine usuræ non posse, arbitratur. (a) Ex immoderato zelo profluere hæc doctrina videtur, si generalibus omnino verbis proferatur. Exinde enim concluderetur, non licere securitatem recuperandæ sortis per pignora sibi procurare, quorum detentio haud dubiè pretio æstimanda est, & periculum

lum fortis irreparabiliter amittendæ excludit. Jocatur P. Daniel (b) cum Cardinale de Lugo, avaros & pusillos etiam dum obseratos in scrinio catenis devincto nummos tenent, furum & domesticorum insidias vereri, nullumque invenire, qui tantæ molestiæ, angorisque pretium solvat. Unde putat, neque in mutuo posse pactum de pretio fieri, cum *bi tituli sint veluti mutuo intimi, seu innati*. Quidni reponat de Lugo, ejusmodi pusillos nullum invenire, qui ad sublevandam tantam molestiam & angorem constituat pignus seu fidejussores: ergo etiam in mutuo exigi aut accipi non posse pignora; cum ejusmodi periculum, ex quo animi molestia oritur, sit veluti mutuo intimum seu innatum. An non ex argutationibus suis *fatis festivois* (quo titulo ipse cohonestat doctrinam Eminentissimi de Lugo) eo adducetur P. Daniel, ut pignora in mutuo teneri posse neget? habebit, quo se tueatur ex S. Ambrosio: (c) *Cum Dominus nihil ab iis, quibus mutuum dederimus, sperandum esse præcipiat; quomodo pignus secundum legem putant retinendum esse?* Certè pignus pauperis pernoctare apud nos non debere, Sacra Scriptura præcipit. (d) Vel igitur *moderata* Indulgentia periculum fortis irreparabiliter perdendæ nequaquam mutuo innatum, sed extrinsecum & pretio æstimabile fateatur P. Daniel: vel *immoderato* zelo neget, pignora pro securitate fortis posse exigi ac detineri.

(a) Sparsum & confusè mentionem de his sæpe facit, quin tamen controversiæ statum unquam sincerè explicet. *Comment. fol. 125.*

139.

(b) *Ibid. fol. 125.*

(c) *Lib. de Tobia. Cap. 17.*

(d) *Exod. XXII. 26. Deuteron. XXIV. 12.*

§. 397.

Porro qua ratione Constitutiones Pontificiæ de fructibus ex Pignore Dotali, (§. 88.) & Feudali (§. 93.) perci-

Gg 2

*Præjudi-
carent
optimis
sententiis:*
prien-

piendis, cum principiis Concinianis conciliari possint, longa esset disquisitio, in quam necesse non est se intromittere. Certè oppignorationes in Germania usitatas (§. 102. seqq.) vix probabit P. Daniel, nisi fortè revereatur CONRADUM SUMMENHART, (§. 108.) quem ipse gravissimum Germaniæ Theologum, & in materia de contractibus Classicum Doctorem nominat. (a)

(a) *De usur. contr. trin. Diss. 2. c. 1. §. 5. fol. 107.*

§. 398.

*Impugnando
auctores
immodeste:*

Quantopere in impugnando Titulo, ex Statuto Principis aut Consuetudine deducto (de quo *Sectione V.*) *Moderationis* non solum Pontificiæ, sed etiam Christianæ, ac humanæ limites omnes P. Daniel egressus fuerit, facile in oculos cuivis incidet, qui vel ejus integram Dissertationem, vel saltem collectos inde flosculos (§. 144. seqq.) legere sustinuerit. Dissertationem Concinianam legendam tradidi Viro æquè docto ac modesto, qui eandem mox ad me retulit, causatus, se legere hæc confarcinata convitia non posse absque gravi indignatione; ad hanc autem nolle se commoveri in gratiam P. Danielis Concinae.

§. 399.

*Et utendo
Principiis
reprobatis.*

Demum ad Titulum *Sectione VI.* explicatum, quem pro exigendo auctario *Montes Pietatis* præbent, observo, argumenta P. Concinae contra P. Pichler, fere ex iisdem principiis deduci, ex quibus Nicolaus Barianus, Cajetanus, & Sotus Montes Pietatis olim impugnarunt, adeò ut Discipulus Patris Pichler sæpe non suis, sed acrioribus verbis Bernardini de Busti, in sua defensione uti potuisset, nisi *Moderationis* leges severè sibi inculcatas violare timuisset. Non volet haud dubiè P. Daniel *immoderatum* Zelum suum, saltem apertis verbis, contra primævum Institutum Montium Pietatis

tatis exserere, ad quos tot alii ex suo Religiosissimo Ordine impeerunt.

§. 400. & Ult.

Hæc sunt, quæ in hoc *Primo Capite* de Titulis exigendi aliquid ultra sortem, ad Epistolam Encyclicam SS. D. N. BENEDICTI XIV. simulque ad Commentarium P. Concinae differenda judicavi, ex quibus Sapientissima *Moderatio Summi Pontificia*, & *immoderatus Zelus* P. Concinae elucet. *Moderatio* id effecit, ut Sapientissimus Pontifex circa Titulos exigendi auctarii in mutuo, non omnia determinaret, quæ tum ex plenitudine Papalis Potestatis, tum ex abundantia propriae Doctrinae potuisset decernere: in iis autem, quæ determinanda pro Apostolico Zelo censuit, singulari verborum humanitate uteretur: circa ea demum, quæ silentiò dissimulanda interim duxit, dignam tanto Pontifice, id est, summam Prudentiam, omnium venerationi exhiberet; cuius proin Supremo Judicio omnia à me dicta, ac dicenda, plenissimè subjecta volo. Econtra P. Daniel Concina insigni *Moderationis* violatione potestatem in Scriptores, eorumque opiniones sibi arrogare videtur non Theologi, sed supremi Judicis; ea etiam verborum intemperie, quam honestæ mentes meritò detestantur. *Moderationis* Regulam præscripsit S. Augustinus, cujus priorem partem exactissimè sequi dignatus est BENEDICTUS XIV. alteram verò gravissimè violare non horruit P. Daniel Concina. Regulam istam, quæ Coronidem huic Capiti imponat, S. Doctor his verbis concipit. (a) *In omnibus tenendus est modus aptus humanitati, congruus caritati, ut nec totum quod potestatis est exseratur & in eo quod exseritur, dilectio non amittatur, in eo autem quod non exseritur, mansuetudo monstratur. Ubi verò nulla ex Divinis humanisve legibus potestas conceditur, nihil improbè atque imprudenter audeatur.*

(a) *Contra Cresconium lib. 3. cap. 51.*



COROLLARIA

E X

JURE CANONICO, PUBLICO, ET CIVILI.

I.

Juxta effatum Optati Milevitani *non Respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica est.* Istud autem non more A catholicorum ad Ecclesiam Regimini Sæculari subjiendam, sed eo modo intelligimus, quo anima dicitur esse in corpore.

2. Jus Sacrorum soli Ecclesiastico Ordini competit. Temporalium verò potestas ita Principi Sæculari conceditur, ut tamen Lege Naturali suadente, Lege Divina digitem intendente, Lege Civili Laudante, Sacri Canones Membra Ecclesiastica à Jurisdictione Laica, etiam quoad temporalia, speciali vinculo non onerata, meritò eximant.

3. Leges, quibus translatio Bonorum in Ecclesias directè, illimitatè, & absque Auctoritate Ecclesiastica prohibetur, laudari non possunt: ad eas autem subvertendas, omni scriptione & disputatione fortiores machinæ sunt, sanctum amplificandi Cultus Divini studium in Laicis, & sanctus rerum temporalium usus in Ecclesiasticis.

4. Alienatio Bonorum Ecclesiæ absque præscriptis solennitatibus, etiam in foro Conscientiæ est irrita. Frustra dicitur, Extravagantem *Ambitiosa* non esse receptam in nostris partibus.

5. Pari passu cum Alienatione Bonorum Ecclesiæ ambulat venditio ac distractio reddituum & proventuum Beneficii, vel ad vitam, vel in longum tempus.

6. Privilegium Fori, quo gaudent Clerici, de Jure Communi non extenditur ad eorum famulos conductitios.

7. Natura Sponsalium respuit gravem injustè incussum Metum. Unde quæ ex tali Metu ineuntur, non pariunt obligationem.

8. Si in certis circumstantiis detur Restitutio in integrum contra Sponsalia Minorum, nihil contra Sacros Canones fieri censemus.

9. Matrimonium in loco publicati Tridentini clandestinè contractum, ne quidem in vim Sponsalium subsistit.

10. Liberi ex adulterio nati non legitimantur per subsequens Matrimonium parentum, prout fusè & eruditissimè differit SS. D. N. BENEDICTUS XIV. contra dubia Archi-Episcopi S. Dominici in Hispaniola, seu potius contra argumenta Bœhmeri.

11. Potest teneri Regula, actum, qui est à Lege humana per se prohibitus, esse ipso Jure invalidum.

12. Contrahens sub conditione turpi, non obligatur vi contractus, etiam conditione impleta.

13. Falcidia de Legatis ad Causas Pias relictis deducenda non est, ne quidem in Bavaria, si Testamentum sit Clerici.

14. Jus accrescendi non transmittitur ad Emptorem hæreditatis, nisi aliud actum sit.

15. Leges Civiles non intendunt irritare ultimas Voluntates pro foro interno ex defectu solennitatum.

16. Spe vendita, ad Emptorem pertinent res speratæ, nonverò aliæ, quæ præter spem eveniunt.

17. Computus læsionis ultra dimidium ex parte Emptoris, patitur difficultatem, inspectis solis Legibus Juris Civilis communis: facilius autem demonstratur ex proportione Arithmetica comparativè ad læsionem Vendoris. Nempe posito vero mercis venditæ pretio 100. Venditor mercem minoris vendendo $40 = 100 - 60$. læditur 60, adeoque ultra dimidium. Vicissim Emptor in effectu habet $100 + 60 = 160$ unde lucratur 60. consequenter ultra dimidium. Item majori pretio vendens $160 = 100 + 60$. lucratur 60. haud dubiè ultra dimidium. Emptor vicissim in effectu habet $100 - 60 = 40$. ergo læditur 60. consequenter ultra dimidium.

18. Praxis non obligandi possessorem bonæ fidei ad restitutionem fructuum consumptorum, in quantum factus est locupletior, innititur rationi & legibus.

19. Non quidem Senatus-Consultum Macedonianum, sed tamen Exceptio ex eo competens, tollit obligationem naturalem.

20. Quamvis Bartolus cum Gloss. in L. 4. ff. de LL. doceat, propter bonas fœminas non debere fieri legem, quia raræ sunt: Beneficium tamen Sena-

Senatus - Consulti Vellejani præcipuè competit bonis foeminis, quæ tamen illi renuntiare possunt.

21. Independentè à pacto, non datur obligatio in conscientia ad re- parandum damnum citra culpam Theologicam illatum, ante Judicis sententiam.

22. Sanctissimam Jejunii Ecclesiastici Legem varia locorum consuetudine temperari, Ecclesia dissimulat: nequaquam autem dissimulat, Dispensationem ad comedendas carnes indultam, extendi ad secundæ Refectionis licentiam.

23. Chocolata, licet per modum potus sumatur, habet tamen ex principiis Medicorum potiùs rationem cibi. Unde faciliè colligitur, quàm congruus sit ejus usus jejunantibus ex principiis Theologorum.

24. Brocardicum illud, quòd Præsumptio stet pro Allodio, parum probat pro particularibus fundis earum Ditionum, super quibus in Germania universim accipitur Investitura.

25. Lex Divina pœnam Capitis in Homicidas latam approbat: Principibus tamen Jus aggratiandi non adimit.

26. *Divina* Providentia sapientissimè disponit, ut Pauperes semper habeamus in Republica: *Humana* Providentia prudentissimè ordinat, ut vaga mendicabula non tolerentur.


27. Privilegium de non Appellando Electoribus Imperii concessum, obstat subditis, quo minus super nullitate Processus Cæsarem implorent.

28. Episcopi Germaniæ in Causis Matrimonialibus exercent Jurisdictionem in subditos suos A catholicos: Illustres autem A catholici Imperio Romano - Germanico immediatè subjecti, nisi in iisdem Causis Episcopalem Jurisdictionem agnoscant, vix reperient competentem Judicem, quo tamen sæpe opus habere videntur.

29. Princeps Catholicus Germaniæ absque ulla læsione Pacis Westphalicæ subditos suos A catholicos obligat, ut in publicis negotiis sequantur Calendarium emendatum Gregorianum.

30. Sunt ex Protestantibus Germaniæ, qui docent, Communionem Cœmeteriorum esse Juris Ecclesiastici, & hæreticis denegandam. Cùm hæc doctrina sit Sacris Canonibus conformis, non possumus istis Doctoribus non assentiri.







P. ZECH:
RIGOR
MODERATUS

Th
4859